Theol. ev. dogm.
128 s

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id472750909/1
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id472750909/2
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

9456

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id472750909/3
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id472750909/4
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

121.

Q. D. B. V.

DECAS DISPVTATIONVM THEOLOGICARVM,

SELECTIORES PER PLEROSQVE FIDEI ARTICVLOS COMPLEXA

CONTROVERSIAS,

in quibus brevissime

THESIS, CONTROVERSIÆ STATVS,

ΒΕΒΑΙΩΣΕΙΣ ET PRÆGNANTISSIMA SEMPER OBJECTIO CVM RESPONSIONE EXHIBENTVR.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. JOHANNE GVILIELMO,

DVCE SAX. JVL. CLIV. ET MONT.

ETC. ETC.

PRINCIPE AC DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,

PRÆSIDE

DN. VALENTINO ℜEETHEM/

SS. Theol. D. Prof. Publ. & Facult. Theol.

h. t. Decano maxime spectabili,

DN. Patrono, Præceptore & studiorum suorum Promotore summa observantia atque humillime devenerando,

IN AVDITORIO MAJORI THEOLOGORVM

publicæ disquisitioni submissa

per

DECEM MENSIS AVGVSTI DIES

A. O. R. M DC LXXXIIX.

ab

AVCTORE

MICHAELE ℜOCH/

GEDANENSI.

IENÆ, Litteris Io. Zach. Nisii.

K. BIBL. OLDEN. 1885
LANDESBIBLIOTHEK DRESDEN.
SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id472750909/5 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

INCLVTÆ REIPVBLICÆ

GEDANENSIS

MAXIME VENERABILI

ORDINI ECCLE-

SIASTICO.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id472750909/6
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

122

VIRIS

SVMME REVERENDA DIGNITATE,

INVARIATÆ AVG. CONF. ORTHODOXIA,

PIETATE,

ZELO PRO DOMO DOMINI,

MAGNIFICA ET AMPLISSIMA MVNERVM GLORIA

EXCELLENTISSIMIS CLARISSIMISQVE,

DOMINIS

SENIORI,
PASTORIBVS,

RELIQVISQVE

SYMMYSTIS

LONGE MERITISSIMIS, GRAVISSIMIS ET VI-

GILANTISSIMIS.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id472750909/7 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

DOMINIS PATRONIS,

PRÆCEPTORIBVS,

FAVTORIBVS ATQVE STVDIORVM SVORVM

PROMOTORIBVS,

JVGITER DEVOTEQVE SVSPICIENDIS,

HANC

DISPVTATIONVM THEOLOGICARVM DECADEM

SVBMISSA MENTE SACRAM CVPIT

MAXIME REVEREND D. AMPLITVDD.

ad pii gratique animi obſequia

devotus

MICHAEL Koch.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id472750909/8 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

123.

CLARISSIMO

DN. MICHAELI Koch/

SS. Theologiæ Cultori maxime ſtrenuo ac indefeſſo,

DECEM HARVM DISSERTATIONVM

AVCTORI CERTISSIMO,

Auditori meo frequenti, attento, grato, Amico in Jeſu ſincere dilecto ac æſtimatiſſimo,

SALVTEM DICO PLVRIMAM

VALENTINVS Velthem / D.

Collegii Theologici h. t. Decanus.

Visquis inter literarum ſtudioſos, quæ futurum in uſum neceſſaria ſibi fore novit, colligere tempori non prætermittit, næ iſte prudenter omnino facit. Ita enim, cum proferendi ea tempus atque occaſio dabitur, haud imparatus erit ad omni fortunæ caſui occurrendum. Qui vero nullam hujus rei curam ſatis mature gerunt, eos tandem oſcitantis ſuæ negligentiæ certo pœnitebit, quando cum præſentiſſimo, quibus maxime opus erit, carebunt detrimento. Pariter iisdem uſu venit atque

ignavo fucis pecori

garrulisque locustis: quas, ut omnem ætatem otio contriverunt, ac byemis venturæ parum extitere memores, illa jam præsente vel occumbere certo vel turpiter alieno partis labore vesci oportet. Quanto cautius mercari apum atque formicarum exemplo discunt in juventute præsertim sua, qui se literis dedidere? quandoquidem isthæc ætas non immerito æstas humanæ vitæ potest appellari: cum in omni hominis ævo nullum aliud tempus aptum magis magisque literato labori opportunum existimetur. Vt ita optime ac prout fas est, florentes suos annos impendant, qui dicto Ascræi senis non vero minus quam sapienti omnibus musei sui parietibus, ut semper in conspectu sit, inscripto, omni cura istud atque studio omnique & corporis & animi contentione sequuntur. Sic autem ille:

Οὐκ αἰὲὶ θέρος ἐστεῖται, ποιεῖσε καλιάς.

Labitur hora, cito in medium quæsita repone.

Et quem hic potius in exemplum, quam Te, Vir Clarissime, producam? Probe fuisti memor, nunc adesse θέρος ætatis atque studiorum tuorum, nec illud vel αἰὲὶ vel etiam diu durare. Itaque non parcens labori atque lucubrationibus, ἐποίησας varii generis καλιὰς Theologicas, quo divinam sementem maturare posses, & multa doctrina, ut sic loquar, ingenii cellulas repleisti; quarum & hic aliquam publice conspiciendam præbes. Nimirum a tanta industria, quam perpetuo adhibuisti, non alii poterant provenire fructus. Redit hic in memoriam, Te, quamprimum hanc Vniversitatem adieras, venisse primum privatas meas scholas frequentatum, quibus orthodoxa doctrina qua thesin qua antithesin per omnes Locos breviter proposita eam uberius explicabam, statasque insuper horas examinibus atque disputationibus insumebam. Ex eo Tu probatus satis mihi es. Ibi quippe sedulum Te in auscultando, solertem in respondendo inque disputando promtum deprebendi; ut satis foret manifestum, illam sacrosancti

studii

ſtudii Academici telam in Inclutâ Witteberga ſat auſpicato exorſam, poſt in Almâ Lipſienſi feliciter licet haud diu continuatam a Te fuiſſe. Singulare porro ac præcipuum adjumentum profectibus Tuis extitit egregia Tua pietas, & iſte, quo Præceptores Tuos proſequi ſoles, affectus longe rariſſimus ac prolixum ſtudium, quod eorum animos non potuit non Tibi maxime benevolos atque faventes reddere. Neque hoc tantum laudi ſummæ Tibi ducitur, quod tam probum Te hic erga ſingulos ſemper geſſiſti; ſed & illud non minus in Te amatur, quod Doctorum, quibus in utraque Electorali celeberrimâ es uſus, & doctrinæ, quam ab iis accepiſti, adeo memor & obſervans eſſe perſeveras. Mihi certe, quem nunc præconem laudis Tuæ publicum delegiſti, non ſolum aſſiduam tuam in ſtudiis diligentiam, verum & vitæ probitatem atque modeſtiam luculenter ac mirifice probaviſti. In illo autem optimo diſcendi ardore & incredibili Tuo ſtudio, cum prudenter animo perpenderes, quam præclare doctrinæ rem juvet diſputandi ratio, cum de propoſitis rebus in utramque partem erudite ac modeſte diſceptatur, hoc exercitii genus Tibi quoque, ad magna quæque adſpiranti, urgendum es arbitratus. Quam ipſam ob cauſam non ita pridem eſt, quod me conveniebas, afferens Tecum ſimul omnes haſce diſſertationes Theologicas Marte Tuo & Minervâ elaboratas, una rogitans, ut Tibi publice eas defendenti partes præſidis exhiberem; cum nihil ante quicquam de hoc Tuo propoſito cognoviſſem. Non difficulter id ipſum impetrari a me ſum paſſus. Neque enim cauſa erat ulla, quare hoc Tibi denegare juſte liceret. Ac ſane eo lubentius petitioni Tuæ locum reliqui, quod intereſſe humanitatis exiſtimavi, deeſſe iis minime, a quibuscunque opera noſtra honeſte deſideretur. Itaque feci, quod volebas, perlectasque, prout acceperam, publica luce donandas reddidi, & his nunc literis animo ſub pectore teſte affirmo, eam me in iis eruditionem atque induſtriam deprehendiſſe, quæ jam

ante

ante mihi cognita satis & perspecta fuit. Vtramque non commemorabo hic pluribus, ne ad hoc conductus esse videar, cum eacuilibet hasce dissertationes inspicienti plana magis atque clara sit futura, quam verbis id exprimi a me queat. Tantum hoc dico, & Wittebergam & Lipsiam hic invenire, quæ sibi vindicent; Jenam vero cathedram ad ventilanda ea, quæ magno isthic hausisti studio, Tibi commodare. De cætero si acerrimo isto & constantissimo impetu porro contenderis, quod minime dubito, jam videre mihi videor, quid boni Ecclesia inque primis suggestus sacer ex Te sit percepturus. Id enim mihi certo præsagiunt insignia prorsus illa specimina, quæ sæpius hic tam in urbana, quam in Collegiali æde edidisti. Imo nec Serenissimi nostri Principis Aula eximias Tuas dotes ignorat. Vbi non queo, quin hoc magnopere in Te prædicem, quod ejusmodi sermones sacros habere amas, quibus simul ædificari, ut loqui in scholis nostris solemus, in fide ac vita possit auditor. Perge hac linea & cœptum feliciter prospereque continuatum cursum in exteris quoque locis, ad quæ nunc tendis, Batavia præsertim & Anglia, strenue urge. Sic fiet, volente Deo, haud longo post tempore, ut Incluta Tua Patria non sine pulchro commodo Tua opera uti queat. Ita spero equidem certoque voveo & a Deo precor precaborque. Dab. e Museo d. 24. Aug. 1688.

PROPEMPTICVM AD EVNDEM.

Visurum populos auro studiisque potentes
Prosequor hoc elego vota sonante pia:
Divitias animi dives Tibi Belga propinet,
Anglo pondus eis adjiciente suum.
Prosper abi prosperque redi; sic prospera quæque
Sentiet in gnato Patria clara suo.

DISP. I.

DISPUTATIO I.

CONTROVERSIA I.

Etiam homini post lapsum non modo potentia proxima cognoscendi Deum, sed NOTITIA quoque DEI NATURALIS INSITA est.

§. 1.

Probatur ex *Rom. I, 18. 19.* Conf. *II, 14. 15.* Ex priori loco sic argumentamur: Si Gentiles veritatem notitiæ Dei & τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ τὸ Φανερὸν ἐν αὐτοῖς, *quod manifestum est in ipsis*, in injustitia detinent, sequitur omnino, notitiam Dei naturalem homini post lapsum insitam dari. Prius est verum. Ergo & posterius.

§. 2. Huic notitiæ Dei naturali insitæ superaccedit notitia Dei naturalis acquisita, qua de *Paulus Rom. I, 20.* agit, & satis perspicue ostendit, quod & qua ratione Gentiles notitiam Dei naturalem sibi insitam inque animis suis tenaciter fixam augere, quin & alere quotidiano aspectu hujus universi & operum tam concinne tam affabre dispositorum & administratorum possint debeantque. Imo quæ hic *Paulus* tradit, si Gentilis Philosophus in ea incidisset, dixisset e *Ciceronis de natura Deorum Lib. II.* mutuo petita & quasi repe-

tita. Ita enim ille: *quid*, ait, *potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum cœlum suspeximus, cœlestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur? quod ni ita esset, qui potuisset assensu omnium dicere Ennius?*

Adspice hoc sublime candens quem invocant omnes Iovem.

Illum vero & Jovem, & dominatorem rerum, & omnia nutu regentem, & ut idem Ennius:

- - - patrem divumque, hominumque,

et præsentem ac præpotentem Deum. Quod qui dubitet, haud sane intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Quidenim est hoc illo evidentius? quod nisi cognitum, comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum sæculis, ætatibusque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus, cæteras opiniones fictas, atque vanas, diuturnitate extabuisse: Quis enim hippocentaurum fuisse, aut chimæram putat? quæve anus tam excors inveniri potest, quæ illa, quæ quondam credebantur apud inferos portenta, extimescat? opinionum enim commenta delet dies: naturæ judicia confirmat. Itaque & in nostro populo & in cæteris, Deorum cultus religionumque sanctitates exsistunt in dies majores, atque meliores.

§. 3. Utramque igitur notitiam Dei naturalem, cum insitam *v. 18. & 19.* tum acquisitam *v. 20.* Apostolus ut Θεόπνευστος expresse asserit, ac ab invicem accurate distinguit. Illam enim ut *veritatem in ipsis* gentilibus *detentam* (notionem DEI a natura ipsa omnium animis impressam *Epicurus* apud Ciceronem nuncupat) hanc ut acquirendam proponit. Huc procul omni dubio respexit *Atheniensis* (ita enim sunt, qui vocant *Clementem Alexandrinum*, ut-

pote

pote Athenis natum, sed Alexandriæ educatum, Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyterum) quando *Lib. VI. Stromatum, non est*, inquit, *absurdum, datam quoque esse philosophiam a divina providentia, prius erudientem ad eam, quæ est per Christum perfectionem, si non erubescat a barbara cognitione discere philosophia profectum ad veritatem.* Eleganter hac de re ac nitide disserit Patrum Cicero *(Lactantius) Lib. I. de falsa religione cap. II.* deque testimonio populorum atque gentium in una hac re non disidentium, quod ipsis *Ciceronis*, Oratorum Gentilium principis, verbis (sunt enim insignia) exprimere libet: Sic enim *de Auspic. Respon-sis: Quis est tam vecors, qui cum suspexerit in cœlum, DEOS esse non sentiat? & ea quæ tanta mente fiunt, ut vix quisquam arte ulla ordinem rerum atque vicissitudinem persequi possit, casu fieri putet?* Et *Lib. I. de Legib. Nulla gens est neque tam inmansueta, neque tam fera, quæ non, etsi ignoret qualem DEUM habere deceat, tamen habendum sciat.*

§. 4. Utrumque illud τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, utramque *notitiam DEI naturalem*, cum *insitam*, tum *acquisitam*, negant *Sociniani*, hanc tamen non omnes negant, illam omnes, & præter eos alii. Utramque expresse negat *Socinus* ipse *prælectionum suarum Theologicarum cap. II.* & *Ostorodus in Instit. Relig. Christian. cap. I.*

§. 5. Objiciunt inter alia maxime locum ex *Psalmo XIV, v. 1.* אָמַר נָבָל בִּלְבּוֹ אֵין אֱלֹהִים: Unde sic colligunt Sociniani: Si impius dicit non esse DEUM, sequitur non dari notitiam DEI naturalem insitam, alias stultus sive impius hoc dicere non posset, cum conscientia sua convinceretur. Sed prius est. Ergo &c. Idem argumentum, non tamen uti diximus omnes, adversus notitiam DEI acquisitam urgent.

§. 6. Reſpondetur: Theologi noſtrates hic diſtingvere ſolent inter ἄγνοιαν κατ' ἀπόφασιν & κατὰ διάθεσιν, inter notitiam ſimplicis ignorationis & pravæ diſpoſitionis. Vel: Affuſæ tenebræ per malitiam, non negant inſitam per naturam Dei notitiam. Et ab ignorantia affectata ad ſimplicem & veram, ab effectu malitiæ ad defectum notitiæ, a negatione ad ignorantiam concludere non licet. Certe nullum dubium eſt, quin allegati aliorumque, quæ urgent, Scripturæ ſacræ locorum parallelorum hic ſit ſenſus: Inſipiens impius affectata malitia ſua naturalem Dei notitiam inſitam extingvit, vel ſaltem extingvere conatur. Fruſtra igitur ex iis adverſarii inferunt, non dari notitiam Dei naturalem inſitam, contra manifeſtiſſimum *Pauli* aſſertum: Ineptius vero exinde adverſus notitiam Dei acquiſitam colligitur.

§. 7. Satis claris verbis indicat *Paulus*, quo ſenſu notitiam Dei naturalem acquiſitam acquirendamve negent Gentiles, ſtultique facti ſint ac etiamnum fiant: ſcilicet præ negligentia quadam ſupina & ſuperbo quodam contemtu verbi divini, non adeo phalerato ornatu tumentis, ut humanæ eloquentiæ dogmata fere veſtiri ſolent, inſuper habentibus aut frigidius excolentibus illud τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, merito DEUS ulteriora auxilia denegavit, ſuæque eos incredulitati reliquit: meruerant enim hoc ſive ſupina negligentia ſive ſtolido faſtu, ut DEUS eos permitteret ſuo abundare ſenſu, ſive ut *Apoſtolus* loquitur *v. 26. traderet in cupiditates ignominioſas, & quemadmodum non probaverant, ut DEUM agnoſcerent, ita in reprobam mentem a DEO traderentur, ut facerent* dicerentque *quæ non conveniebat. v. 28.* conf. *Act.* XVII, 27. XIV, 16.

§. 8. Regerunt adverſarii, etiam *Socinus* ipſe, eo dementis impietatis proceſſuros non fuiſſe etiam *præſtantiſſimos ſapientiæ, ceu Platonem Tacitus annal. 6. cap. ex diſtinctione*

ne Berneggeriana 7. num. 2. appellat, eosque qui emunctioris esse naris & doctissimi videri volebant, imo esse malebant, quam videri, ut tam impudenter dicerent, non est DEUS. Sed eo ipso propriam ἀναιδευσίαν flagellant. *Non enim moriones aut mente carentes hic intelliguntur*, scite ait meritissimus Theologus *B. Martinus Geierus* præclarissimis suis *commentationibus ad Psalm. XIV. vers. 1. parte prima Commentarii in Psalm. p. m. 204. sed in mundanis sapientia satis instructi, qui* tamen adeo *insipienter agunt in divinis, qui factis nefariis stolide se gerunt, stolideque seipsos in æterna ac temporalia exitia factis suis præcipitant.* Nempe satis pro comperto habebant unum esse verum & summum DEUM, nihilominus metu iræ popularis non semper palam enunciare audebant, juxta illud: *quia me vestigia terrent.* Annon enim Socrates, cum loco publicæ prælectionis unitatem essentiæ Divinæ sive DEUM esse unum in essentia, nec uno plures DEOS dari posse evidenter demonstrasset, incontinentis linguæ pœnam dare & cicutam bibere jussus est, ut ipse in *Apologia* sua testatur. Quod ipsum Plato Socratis genuinus Discipulus probe advertens,& quod una saltem vice sic publici Professoris officio fungi liceat, *epistola ad Dionysium Tyrannum Syracusanum* aperte dixit: *Seriæ igitur Epistolæ initium esse* Θεὸς, *non seriæ* Θεοὶ. Movit id Aristotelem, ut nescio quæ ridicula continuarum circumrotationum negotia alia atque alia aliis atque aliis Diis imponeret, ut illis qui jus amputandi capita negantium πολυθεότητα urgebant, otia faceret, hoc est, se plures DEOS credere, vulgo ac vere stultis persvaderet, qui propter inertiam in divina solicite inquirere pigrabantur, voluptatibus interim diffluentes & gloriam nominis immortalem factis extendere contenti.

§. 9. Placent valde, quæ vulgo sic dictus communis Germaniæ Præceptor *Philippus Melanchton* de illa insaniente sapientissimorum Gentilium sapientia, quam affectatam ignorantiam nuncupat *Tom. I. Operum p. 227.* præclare dixit: *Quia*, inquit, *volentes amiserant & abjecerant doctrinam, & non quærebant eam rursus in Ecclesia, & receperant furores manifeste pugnantes cum naturali Dei notitia, quæ monstrat, unum esse Deum, nec colendum esse Deum obscœnitate, ut apud illos erant Bachanalia, & alia turpia sacra.* Hactenus ille. Accedebat fastus, cujus modo meminimus, & superbia multorum, quod meliora se edoceri non posse existimarent, quam causam indicaturus *Chaldæus Paraphrastes*, verba *Psalm X, 4.* in quibus *Socinus* ipse mirum in modum præsidium causæ suæ ponit, ita expresit: *Impius ob fastum animi non quærit Deum.* Quid interim *Socino* in mentem venerit, neganti, Gentilem Deum credere, versumque dictum urgenti, non videas, nisi credas præ nimio fastu ea dixisse, cum ex ejusdem *Psalmi versu 10.* contrarium pateat. Meretur in hunc quoque locum laudatissimus *Geierus p. 163.* legi, ita accurate concludens: *Ergo & h. l. negant Deum ratione providentiæ: vel saltem ratione vitæ suæ Deum prorsus negant, licet interius per conscientiam convincantur, Deum esse.*

§. 10. Nec assertio *Ostorodi*, quam habet in Tractatu, cujus titulus: **Unterricht von denen vornehmsten Haupt-Puncten der Christlichen Religion** *pag. 10.* hic locum invenit, quod hominibus tantum per famam innotuerit Deum esse. Quia alias multa sequerentur ἄτοπα: (1) Dicta *Pauli* de insitis notiis naturalibus agentia erunt falsa. (2) Multi Ethnici erunt coram Deo excusabiles; quia non omnes per famam cognoverunt nec cognoscere potuerunt esse Deum. (3) Notitia de existente justo aliquo Numine, bona opera remunerante, mala vero vindicante foret amisibilis. Siquidem quæ

γνῶ-

7.

γνῶσις colligitur per famam, illa tandem potest amitti. Ast notitia hæc nullo tempore potest amitti. Nam ipse Deus opus legis inscripsit cordibus nostris.

CONTROVERSIA II.

In statu corruptionis nulli hominum notitia DEI naturalis sufficit ad salutem.

§. 1.

Fuerunt multi etiam temporibus pristinis magnorum nominum Patres, qui contrarium asseruerunt: *Zwinglius* etiam & *Thammerus* in ea fuerunt sententia, ut *B. D. Martinus Chemnitius LL. CC. Art. de DEO p. m. 21. a.* refert: Sufficere nempe ad vitam æternam, si δικαίωμα Dei quatenus hominibus notum est, opere impleant, & tunc sine Christo salvari posse.

§. 2. *Sociniani* (*vid. Ostorod. cit. Instit. Germ. c.* III. *fol. 28. & Catech. Racov.*) itidem statuunt Theognosiam illam, quod nimirum Deus sit unus, æternus, perfecte justus, perfecte sapiens, & perfecte potens ad æternam salutem sufficere.

§. 3. Repertus quoque est ante non adeo multos annos quidam qui eo abiit temeritatis, ut fundamenta salutis certa, indubitata, omnibusque hominibus a condito mundo, adhuc, & ad consummationem seculi obvia, ex lumine naturæ demonstrari posse probaret, nomine *Edoard Herbert de Cherbury, Baro Anglus.* Qui quinque posuit articulos, quos omnibus Gentilibus jam olim & etiamnum notissimos esse asserit, hosque esse sufficientissimos ad salutem æternam. Articuli hi sunt sequentes:

I. *Esse supremum aliquod Numen.*

II. *Supremum istud Numen debere coli.*

III. *Vir-*

III. *Virtutem cum pietate conjunctam, præcipuam partem cultus divini esse, & semper fuisse.*

IV. *Horrorem scelerum hominum animis semper insidere, adeoque illos non latuisse, vitia & scelera quæcunque expiari debere ex pœnitentia.*

V. *Esse præmium vel pœnam post hanc vitam.*

Refutationem autem horum articulorum accuratissimam æque ac solidissimam vid. in Disputatione *B. Dn. D. Joh. Musæi de Luminis naturæ & ei innixæ Theologiæ naturalis insufficientia ad salutem*, Tractatui *de æterno Electionis decreto* annexa. Propositum nostrum haud permittit prolixe omnia tangere, quæ ibi sufficientissime sunt deducta. Huc etiam apprime facit ejusdem *Dissertatio* eximia *contra Steph. Curcellæum de Quæstione: Utrum Gentiles absque fide in Christum per extraordinariam Dei gratiam ad salutem æternam pertingere possint?*

§. 4. Orthodoxa sententia est: Neminem vitam æternam posse consequi absque fide in Christum: quod multis probari posset Scripturæ dictis, ut *Joh.* III. *v.* 16. *Act.* X. *v.* 43. XV, 11. *Rom.* III, 24. *&c.* Fides autem in Christum est fides, quæ apprehendit satisfactionem Christi, quæ in pasione & morte Christi consistit, quam lumen naturæ prorsus ignorat.

§. 5. Adesse interim adhuc volumus vel hunc unicum locum *Joh.* XVII, 3. Αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν. Unde hoc fluit argumentum: Si in eo consistit vita æterna, ut cognoscant solum verum Deum & Jesum Christum a Patre & totius SS. Trinitatis consilio missum, sequitur neminem unquam, vel adhuc hodie vel in posterum notitia Dei naturali, quæcunque etiam attributa de Deo absque notitia Chri-

Christi & fide salvifica noverit, salvatum esse vel salvari posse. Sed prius est. Ergo.

§. 6. Circa hoc dictum exceptiones Socinianorum frivolas vide accuratissime refutatas in *B. D. Andr. Kesleri Examine Logicæ Photin. Sect. 1. Princip. V. p. m. 74.* & subseqq. plurimis.

§. 7. Ex Scriptura sacra quid justa objectione dignum putent, ferme non inveniunt præter locum *Rom.* I, 20. ubi dicitur, quod Gentiles propter manifestationem ipsis de DEO factam sint ἀναπολόγητοι *inexcusabiles.* Si autem sunt inexcusabiles, sequitur notitiam DEI naturalem esse sufficientem ad salutem. Prius est. Ergo. Major prob. Oppositorum est opposita consequentia: Si Gentiles propter malum notitiæ naturalis de Deo usum, fiunt inexcusabiles; sequitur, quod propter verum & mandatum usum fiant excusabiles, h. e. salvi. Sed resp: neg. Conseq. Majoris: Non enim Gentiles excusabiles sunt ob sufficientiam naturalis notitiæ ad salutem; sed propter negligentiam recti usus ejusdem notitiæ ad quærendum verum ac salutarem veri Dei cultum in Ecclesia, in illustri loco semper constitutum. vid. Dn. D. *Waltheri*, Patroni & haud pridem Præceptoris mei devota atque humilima mente semper colendi, *Colleg. MS. in B. D. Calovii Synops. Controvers. Art. de DEO Sect. I. th. 7. obj. 1.* Ad probationem resp. Oppositorum est opposita consequentia, *si opposita sint paria:* unde uti non sequitur: mala opera damnant; Ergo bona opera salvant: Sic etiam non sequitur: propter abusum notitiæ naturalis Gentiles fiunt inexcusabiles; Ergo propter verum & rectum usum fiunt excusabiles. Nam lumen naturæ fuit Gentilibus quasi Pædagogus, qui illos sensim ad cognitionem & verum Dei cultum occasionaliter quasi manuducere poterat, etsi neminem convertere formaliter potuerit. Cum autem Ductorem hunc

ſequi recuſarint, Deus ex Juſtitia vindicativa tradidit eos in reprobam & veſanam mentem. *Rom.* I, 23. 24.

§. 8. Magis, ut videtur, Naturaliſtæ, quos vocant, ſolent objicere tam ſplendida teſtimonia tantorum Patrum in V. E. ex quibus multi, multos Gentiles per ſolum lumen naturæ & Philoſophiam ſalvatos fuiſſe aſſeruerunt. Quos Patres autem, fuerunt ac etiamnum ſunt, qui excuſandos putant, quod forſan bonam partem locuti ſint de Philoſophis & aliis Gentilibus doctis, quibus neque fama de Eccleſia, neque bona pars dogmatum fuerit incognita, adeoque non omni prædicatione caruerint. vid. B.D. *Johannes Hulſemannus Tract. de auxiliis grat. fol. 90.* Scite B. *D. Martinus Chemnitius Conc. Trid. Exam. de Epiſt. Apoſt. p. m. 39. a.* de auctoritate PP. ſcribit: *Amamus & veneramur veteris & purioris Eccleſiæ teſtimonia, ejus conſenſu & adjuvamur & confirmamur, fidem vero oportet niti verbo Dei, non humana auctoritate. Ideo Patrum teſtimonia non præponimus, ſed ſubjungimus Scripturæ.* In quo judicio tanti Doctoris merito acquieſcimus.

CONTROVERSIA III.

Una certa & Scripturis Sacris Canonicis plane conformis Religio requiritur, ut quis verus dicatur Chriſtianus, & per hanc, quæ alias dicitur fides QUÆ creditur, religionem accipiat fidem ſalvificam QUA creditur, perque hanc habeat vitam æternam.

§. 1. Hæc

§. 1. Hæc theſis cum moderno tempore apud plerosque, proh dolor! plane obliterata videatur, brevibus circa hanc morabimur. O utinam obliterata eſſet quoad literas, modo practice obſervaretur! Sed utplurimum hodie quod de *Hugone Grotio* quidam dixiſſe fertur, locum invenit: *Plurimi habent Religionem doctorum Virorum;* & quærenti alteri, *quæ eſſet iſta Religio?* reſpondiſſe: *Credunt quod volunt.* vid. *Burgold. Diſc. Juridico-Politico-Hiſtor. part.* II. *d.* 2. *p.* 11. Et illud *Joh. Woweri* Philologi alias eximii *Epiſt.* XL. *Cent.* I. *p.* 79. ſcribentis: *Quaſi interſit, quid credam, vel non credam, cum humani juris & naturalis poteſtatis ſit unicuique quod putaverit colere.* Quoties hoc ſeculo, ſi hujus alteriusve magni ſæpe viri exquiritur religio, auditur reſponſum: *Habet religionem magnam.* Er hat die groſſe Religion. vel uti B. *Chemnitius* vocat: *aulicam religionem. Harmon. cap.* 83. *p.* 1575. Sed vereor, ne per hanc etiam fides minima ſuccumbat, & hic hujus ſeculi magnus cum religione magna, magnum demum impleat inferni ſpatium. Sed quo dilabor? Inſtitutum meum jam requirit, ut clariſſime demonſtrem, homines non unaquaque, quæcunque demum ſit, religione, ſed unica tantum ſacris literis conformi ſalvari poſſe.

§. 2. Jam ſupra vidimus, extra Chriſtum nullam eſſe ſalutem, ita ut jam non de religionibus Gentilium, Judæorum, Muhammedanorum &c. quos omnes ſalva conſcientia, quatenus tales ſunt, a vita æterna excludere poſſumus, imo tenemur: Sic enim vult jubet optimus Magiſter, Magiſter omnis charitatis, veritas ipſa: *qui non credunt, jam condemnati ſunt:* addita ratione, *quia non crediderunt in nomen unigeniti Filii Dei. Joh.* III, 18. En propoſitionem κατὰ παντὸς, καθ' αὐτὸ ἢ καθόλα: Finaliter incredulus æterna damnatione perit. Nam quod cauſa æternæ damnationis ſit finalis incredulitas, ex adjecta a Chriſto reduplicatione: ὅτι μὴ πεπι-

 πευ-

πεπιστευκεν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, *quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei*, abunde liquet.

§. 3. Neque de his, qui mutatis sæpe locis etiam semper religionem mutant, illamque pro re quadam habent indifferenti, quo medio corporalem cum maximo animæ detrimento, quærunt securitatem, nobis sermo est, quos abnegatores nefarios Deus tandem aliquando justissime abnegabit, juxta *Matth.* X, 23. *Quisquis negaverit me coram hominibus, negabo eum & ego coram Patre meo, qui est in cœlis.* Insignis locus est *Chrysostomi Homil.* XXV. *Matth.* dignus qui huc transcribatur: *Ne dicat Christianus, si necessitas persecutionis advenerit, coram hominibus denegabo, in corde autem veritatem tenebo, ideo non dicit Christus, qui me confessus fuerit in corde, sed coram hominibus: qui coram hominibus non confitetur, non prodest, quod corde in Christum credit; quia qui ore denegat, non potest fieri, ut in corde credat. Radix confessionis fides est, cordis autem confessio cordis fides: sicuti autem quamdiu radix est viva, necesse est, ramos producat aut folia, si non produxerit, sine dubio intelligis, quod radix ejus in terra siccata est: sic quamdiu cordis fides integra est, supergerminat confessionem in ore: Si tibi sufficeret confessio cordis, cor tantum tibi Deus creasset, nunc autem & os creavit.*

§. 4. Sed de his agemus, qui credunt Christum, non autem in Christum, ut ipse in Scriptura S. revelavit, quique certæ religioni, sacris literis autem contrariæ, sese addixerunt. De quibus quid dixerit Christus, vid. apud *Matth.* VII, 21.

§. 5. Et sic dispiciemus, quid de religione Pontificiorum, Calvinianorum, Socinianorum (ut alias quasvis jam taceamus) habendum sit, & an inter hos detur religio vera? Quidam Doctorum putant, ibi esse veram religionem, ubi Symbolum Apostolicum pro norma atque catalogo articulo-

culorum fidei habetur, ſed ſic apud nominatos Adverſarios ubivis religio haberetur vera, & quilibet huic vel illi cœtui adhærere absque detrimento ſalutis poſſet. Hoc autem negamus (1) quia Symbolum Apoſtolicum non eſt ſufficiens norma & catalogus omnium articulorum fidei ad ſalutem neceſſariorum. Quod probatur Inductione, e. gr. absque notitia univerſalis Dei gratiæ, qua vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire 1. *Tim.* II, 4. absque notitia univerſalis meriti Chriſti, qui pro omnibus ac ſingulis hominibus omnibusque ac ſingulis eorum peccatis paſſus & mortuus eſt 2. *Cor.* V, 14. 15. *Ebr.* II, 9. 1. *Joh.* II, 2. absque notitia univerſalis vocationis, quando beneficia per obedientiam & ſatisfactionem Chriſti omnibus omnino hominibus per verbum Spiritus Sanctus obtulit ac etiamnum offert *Matth.* XXVIII, 19. *Marc.* XVI, 15. *Luc.* XXIV, 47. *Act.* XVII, 30. quodque Deus velit omnibus conferre fidem, modo non ipſi ponant obicem, ſuaque culpa operationem gratiæ, qua illam collaturus eſt, impediant, nemo de ſua ſalute certus reddi poteſt. (2) Non ſequitur: Ubi ſunt, qui confitentur Symbolum Apoſtolicum, ibi eſt vera religio: nam non in verbis, ſed in ſenſu Symboli eſt fides. Quando autem Adverſarii non uti nos juxta Scripturam Sacram Symbolum exponunt, neque unum nobiscum habent Symbolum: Quod autem falſo exponant, inſpectio trium tabularum, quarum Auctor B. *Joh. Conr. Danhawerus* extitit, & quibus tres magnas religiones: noſtram h. e. veram & orthodoxam, Pontificiam & Reformatam, ab invicem diſtingvere ſategit, ita ut illa Symbolum Apoſtolicum in ſenſu Eccleſiæ orthdoxæ, iſta in ſenſu Papæo, hæc in ſenſu Reformatorum exhiberet, quas quarta a B. D. *Scherzero* & quinta a ſe locupletatas denuo publica luce donavit Excell. *Dn. L. Rechen-*

berg in Appendice tripartita ad Libb. Eccles. Luth. Symbb. p. m. 56. & seqq. Imo si sufficeret, verba Symboli recipere, nulli fere hæreticorum jure damnati fuissent. Nam Ariani, Novatiani, Nestoriani, & alii fere omnes, verba Symboli Apostolici recipiebant, sed quia in sensu dissensio erat, ideo damnati & ab Ecclesia Catholica rejecti fuerunt. Quæ hic in contrarium objici poterant, & quod Symbolum Apostolicum etiam a nostratibus ante hanc exortam controversiam summa articulorum fidei sufficiens dicta fuerit, absque qua nemo vitam æternam adipisci possit, occasione controversiæ proxime sequentis, ex instituto discutientur.

§. 6. Interim concludimus: *Religionem Pontificiam* non esse veram ac salvificam, sed heterodoxam & pernitiosissimam, ac, ut ita loqvamur, damnificam: Hoc probat Apostolus *Paulus Gal.* V, 4. κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ χριστοῦ, οἵτινες ἐν νόμῳ δικαιοῦσθε, τῆς χάριτος ἐξεπέσατε. Quod autem Pontificii per legem h. e. per bona opera salvari velint, quamvis in Concilio Tridentino *Sess.* VI. *cap.* VIII. negare hoc videantur, jam pridem a Nostratibus demonstratum est. Loco omnium nomino B. *Mart. Chemnitium*, cujus *Exam. Concil. Trid. vid. Loc. de B. O. p. m. 174.* & subseqq. plurimis. Et sic omnibus his, qui per B. O. salvari cupiunt, Christus inanis factus est, & gratia Dei exciderunt. Deinde Apostolus quoque Pontificiorum doctrinam nominat διδασκαλίαν δαιμονίων 1. *Tim.* IV, 1.

§. 7. Inquies: Ergo damnas omnes, qui apud Pontificios unquam vixerunt & adhuc vivunt. Minime: Nam sæpe aures Auditorum sunt lingvis docentium puriores. Non enim confundi debent hæ duæ propositiones: Papatus est vera Ecclesia; &, in Papatu est vera Ecclesia; illa falsissima est, hac verissima manente. Olim, quod nemo negat, ac etiam-

num

num hodie, in Pontificia, quamvis falsa Ecclesia, aliqui veri pii inventi sunt, & inveniuntur, ut Infantes qui impuro Ministerio per sacramentum initiationis regenerantur, & adulti simplices, qui non intelligunt profunditates Satanæ *Apoc.* II, 24. ne verbum Dei, quantum adhuc ibi prædicatur, redeat vacuum contra *Esa.* LV, 10. Inque tantum merito nostra facimus verba *Hilarii* de Hæresi Arii *L. contra Auxentium* scribentis: *Multos simplices de plebe fuisse Catholicos in foro interno, sub impuro Ministerio etiam Sacerdotum Arianorum, quamvis cum illis in cultu divino & usu sacramentorum communicarint.* Quod dictum adducit & laudat *August. Gibbon de Burgo in Luthero-Calvinianismo reconciliabili Disp.* I. *quæst.* II. subjiciens: *hac communione non obstante in vero ac Catholico sensu percipiebant, quæ in corrupto prædicabant Sacerdotes.*

§. 8. Quod *Calvinianam religionem* attinet, profecto tales fovent hypotheses, quibus admissis ne quidem de religione sua quis certus fieri, multo minus de salute sua, nec ullum sibi ex Scriptura sacra cumprimis in summo tentationis æstu solatium promittere potest. Expresse enim Scriptura vult omnes homines salvos fieri, 1. *Tim.* II, 4. 5. nullumque perire. 2. *Petr.* III, 9. Quæ dicta omni vi detorquent ac violentia, ut vel omnes intelligant electos, sicque fingendo, Christum pro solis electis mortuum esse, eundem ne quidem pro Semi-Redemptore humani generis agnoscere possunt: vel per genera singulorum exponant: Quod autem ipsi *Chamiero Panstrat. Cathol. Tom.* III. *L.* VII. *C.* VI. §. *8. seq. fol. 105.* displicuit, quoniam illud: *non vult mortem peccatoris*, repugnare videbatur. Nam mors non potest considerari in generibus singulorum. Unde sic concludo: In quacunque religione nullum datur solatium, sed potius via sternitur ad desperationem, illa non est am-

amplectenda. Atqui Religio Calvinianorum talis est. &c. Ergo.

§. 9. *Socinianorum Religionem* esse pestilentissimam, ex eo perspicuum est quod SS. Trinitatem impugnent, & sic quoque non in verum DEUM credant. Quicunque autem non credunt in unicum solum verum DEUM, qui est unus in essentia, & trinus in personis, illi damnantur. Sed Sociniani non credunt. &c. Ergo. Maj. est manifesta nam. χωρὶς πίστεως ἀδύνατον εὐαρεστῆσαι. *Hebr.* XI, 6.

§. 10. Thesin nostram probamus: Quæcunque Religio a Scriptura sacra præscribitur, illa est vera religio, atque unice amplectenda. Sed Lutherana, quam vocant, religio est talis. Ergo. Major est certa, quia Scripturæ sacræ ut principio fidei credendum, inque ea sola nitendum. Minorem probo: Hæc est vera religio, quæ credit, extra Christum non esse salutem, hujus meritum esse universale & quod vita æterna consistat in agnitione unius veri Dei, & quem misit Jesu Christi, cæteris articulis fundamentalibus non exclusis. Hoc autem Lutherana, ceu vocant, Religio credit & observat, omnes autem Religiones adductæ, si non directe, indirecte tamen, si non theoretice tamen practice negant. Ergo Lutherana, quam dicunt, Religio tantum est vera, & per consequens etiam tantum amplectenda, hæc tantum ducit ad vitam æternam. His observatis quilibet facile videt, quid habendum sit de studio concordiæ inter hos Adversarios & nostros, & an sana conscientia tales errores propugnantes pro Fratribus in Christo agnoscendi sint?

§. 11. Rationes quæ objici possent, *Puccius* & *Amyraldus* hanc sententiam, quemlibet in qualibet religione posse salvari, ex professo propugnantes, nullas adhuc, quæ non vel de vocatione Dei generali atque universali agerent, vel de merito Christi pro omnibus totius mundi hominibus (quod ta-

17.

tamen nisi fide applicatum non salvat)vel quæ non id,quod petebatur in principio affererent, præter tales, inquam, nullas adhuc invenerunt. vid. *B. D. Calov. Syst. Tom. I. p. 186.* Argumentis autem ex ratione petitis hac in re pugnare non licet.

CONTROVERSIA IV.

Tota Scriptura sacra Canonica, eaque sola (h. e. exclusis Symbolis librisque Symbolicis, omnibusque aliis scriptis, item traditionibus non scriptis) est unicum, genuinum & adæquatum Principium totius orthodoxæ Theologiæ.

§. 1.

Hæc thesis ferme omnibus Adversariis nostris, quocumque demum veniant nomine, quasi sudes est in oculis. Si Pontificios spectemus, duplici nomine huic thesi contradicunt, asserendo: (α) Principium Theologiæ esse Papam ex cathedra infallibiliter dogmata fidei pronuncianten: modestiores sistunt Ecclesiam Romanam. (β) Traditiones non scriptas pari pietatis affectu ac reverentia, cum Scriptura sacra esse suscipiendas, juxta Concilium Tridenti habitum *Sess.* IV. *Decret. 1.*

§. 2. Si Calvinianos cum Socinianis consideremus, nostra thesi stabilita, ratio illorum, quam pro principio habent, hi quidem cum theoretice ex parte, tum practice, illi autem si non theoretice tamen practice, facile evanescet. Alii quoque, si nostrum

principium, eſt unicum & adæquatum, non inveniunt, qui ſententiam, de principio ſecundario, quod conſenſum veteris Eccleſiæ Patrum eſſe volunt, defendere poſſint.

§. 3. Pontificii Principium ſuum & traditiones expreſſe defendentes, probationem a nobis quod ſic doceant non poſtulabunt. Calviniani autem, ex *l. diffamari*, prout loqui amant, querelam inſtituere ſolent, eo quod expreſſis verbis contrarium doceant. Sic enim *Sohnius* Calviniſta *Tom. 1. operum lib. 2. de verbo DEI p. 52.* expreſſe ſcribit: *Norma de his rebus omnibus* (articulis fidei) *eſt ſcriptura ſacra. Hæc per ſe ſufficiens eſt ad diſputandum & redarguendum omnes errores & hæreſes. Hic fundamenta & principia, hic limites & termini, quos tranſilire non licet, huc contendendum, hic inſiſtendum. Quapropter errant & graviter peccant illi, qui fingunt alia principia diſputandi, aut qui confundunt genera diſciplinarum, Theologiam & Philoſophiam, & cum Chriſto copulant Ariſtotelem, & ex principiis natura notis dogmata fidei exſtruunt.* Sic *Sohnius*. Sed ſi praxin illorum ſpectemus, tunc demum palam fit, quod aliud corde premant, ore aliud promant. Exemplum eſſe poteſt in doctrina de S. Cœna, & Omnipræſentia Chriſti ſecundum humanam naturam.

§. 4. Ex Socinianis ſunt, qui expreſſis verbis negant ſe rationem pro principio agnoſcere, quod tamen re ipſa affirmant. Audiamus verba *Socini ex tractat. ſolut. ſcrupul. ſcrup. II. p. 40. Non ſunt DEI*, inquientis, *imperſcrutabilia judicia humanæ rationis modulo metienda. Inſtit. germ. cap. 29. p. 197.* Denn wäre es gar zu gefährlich / in ſolch einer groſſen Sach / da von des Menſchen Leben / ja von ſeiner ewigen Seeligkeit gehandelt wird / Menſchlicher Vernunfft und Gutdüncken zu vertrauen. *Smalc. in 1. Joh. Homil. p. 4. Velle ſacrarum literarum puritatem cum Philoſophia ita com-*

commiſcere, ut illius ſit interpres, eſt religionem peſſundare, & Philoſophiam Theologiæ præponere. Idem *contra Frantz. p. 165. &c.* Quomodo autem expreſſis verbis hi ipſi auctores his allegatis, & ſic ſibi ipſi contradicant, vid. apud B. *D. Scherzerum in Colleg. Anti-Socinian. pag. m. 17. & 18.*

§. 5. Hic notandum venit, *Calvinianos* & *Socinianos* maxime hoc ſuum Principium, nempe Rationem humanam, multis præconceptis opinionibus refertam, adhibere in rebus inter nos & ipſos controverſis, in reliquis autem doctrinis quas nobiſcum habent communes, diſſimulare aut negligere illud, noſtrumque etiam principium admittere ſubinde, imo aſſumere.

§. 6. Idcirco ex abundanti probamus, quod Calviniani & Sociniani Rationem tantum pro vero, unico, genuino & adæquato Principio habeant, hunc in modum: Quicunque propter Philoſophica effata & principia rationis apparenter vera, clariſſima Scripturæ dicta, & ex iis exſtructos articulos negant, & verba Scripturæ a nativo ſenſu propter rationem ſuam in alienum detorquent, illi rationem conſtituunt Principium religionis, & Scripturæ S. præponunt. Calviniani & Sociniani hoc faciunt. Ergo &c. Minor inductione probari poteſt, ſi modo ante citt. artic. de ſacra Cœna, deque Omni præſentia Chriſti ſecundum humanam naturam &c. &c. in *Calvinianis;* articulum vero de SS. Trinitate & Deitate Chriſti &c. &c. in *Socinianis* ſpectemus.

§. 7. Quod aliorum quorundam ſententiam de Principio ſecundario attinet (cui noſtra theſis contradicit, quando tantum unicum Principium tuetur) Patroni ejus, conſenſum Patriſticum illud eſſe, affirmant: *M. Ant. de Dominis L. VII. de R. E. c. VI. n. 3.* cit. a *D. Scherzer. in Breviar. Hulſ. auct. p. 45.* ſic ſuam hac in re mentem explicat: *Theologi*

veterum Patrum consensionem pro tuta regula sumant in docendo ac sequantur. Qui videtur longius atque alias quidam solent, processisse, quibus lis non fuit de ea quæstione: an consensus Patrum in docendo sit regula? quod nec illi volunt, sed an sit Principium, non quidem primarium; sed secundarium? Hic autem prius sine ulla exceptione demonstrari ac probari deberet talis consensus Veteris Ecclesiæ atque PP. qui in ea vixerunt, qualis certe ob prægnantissimas rationes non facile exspectandus. Legi hîc meretur *de Dissensu PP. V. E. Oratio de lectione Patrum B. D. Mart. Chemnitii*, quæ præfigitur ejus LL. CC. ubi prolixe fundamentales Patrum circa articulos fidei errores adduxit.

§. 8. Quod si quidam consensus Patrum veteris Ecclesiæ concedendus esset, vocabulum tamen Principii foret suspectum. Et quamvis etiam veteres nostrates vocabulum Principii confirmativi, & similia sano sensu usurparint, tamen exorta cum Pontificiis, quod Scriptura S. non sit sufficiens ad salutem, controversia, hoc vocabulo uti tanto minus licet.

§. 9. Βεβαίωσις theseos sumitur ex 2. *Tim.* III, 16. 17. Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ. Ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος. Unde tale fluit argumentum: Quæcunque Scriptura adeo utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in Justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte instructus, illa est unicum, genuinum, & adæquatum Principium totius orthodoxæ Theologiæ. Atqui Scriptura S. Canonica est adeo utilis &c. Ergo. Major est manifesta, nam ad

tale

tale principium nihil amplius requiritur præter enumerata attributa. Minor est Spiritus S.

§. 10. Excipiunt *Pontificii*, in specie *Becanus* : Vocabulum πᾶσα h. l. non idem esse ac ὅλη, sive non sumi collective, sed distributive. Sed si hoc verum esset, DEUM immortalem! quot absurda inde sequerentur? pariter possem argumentari: Quæcunque Scriptura a Deo inspirata est, illa est utilis ad doctrinam, ad redargutionem &c. Subsumo: Atqui Scriptura, quæ dicit *præcurrisse canem, qui simul fuerat in via, & quasi nuncium advenientem blandimento suæ caudæ gavisum fuisse Tob. XI, 9.* (juxta Pontificios) est a Deo inspirata, Scriptura, quæ dicit Saulem *ingressum fuisse speluncam ad tegendum pedes suos I. Sam. XXIV, 4.* est a Deo inspirata. Ergo hæc Scriptura utilis est ad doctrinam, ad redargutionem &c. En talia sequuntur absurda, si vocabulum πᾶσα distributive sumatur. Instat Becanus : Non sequi, Quicquid est utile, illud etiam est sufficiens & adæquatum Principium Theologiæ. Uti non sequitur, inquit, cibus est utilis ad conservandum corpus organicum. Ergo non opus habemus potu, ergo est sufficiens & adæquatum nutrimentum corporis organici: Sic etiam non sequitur: Scriptura Sacra est utilis ad doctrinam &c. Ergo est quoque adæquatum & sufficiens principium S. Theologiæ. Sed Resp.: de industria vocula *adeo* in argumento addi: Quæcunque Scriptura *adeo* utilis est &c. Cibus autem non adeo utilis est, ut absque potu conservare possit corpus organicum, uti Scriptura Sacra Canonica utilis est, ut absque interpretatione Papæ, absque Traditionibus non scriptis sufficientissime possit instruere hominem ad vitam æternam, & ut perfectus sit ad omne opus bonum peragendum.

§. 11. Cum Calviniani hac in re theoretice nobiscum conveniant, etiam nihil ab ipsis hic objicitur.

§. 12. Sociniani autem objiciunt *Rom. XII, 1.* quod Apostolus admoneat, cultum nostrum divinum debere esse λογικὴν λατρείαν: At qualis, quæso consequentia: Si cultus noster divinus debet λογικὴ λατρεία esse, sequitur rationem esse Principium Theologiæ. Nego consequentiam: His quippe verbis Apostolus admonet Auditores suos, ut cultum divinum cum ratione exerceant, seque præstent creaturas rationales, & sic vocabulum λογικὸς opponere voluit vocabulo ἄλογος, ut ne in colendo DEum se gererent absque sana ratione ὡς ἄλογα ζῶα. Unde illud tantum sequitur: Si Apostolus adhortatur, ut cultus noster divinus sit λογικὴ λατρεία, sequitur, quod hunc cultum non absque sana ratione sive ἄλογοι exhibere debeamus, non autem, ut secundum rationem illum metiamur, sed ut secundum verbi DEI informationem, hanc, nempe rationem informemus.

§. 13. Pontificii objectionem magis stringentem, meo tenui judicio, hactenus invenire potuerunt nullam, præter illam, qua vitium circuli jam pridem commiserunt, ex *Matth.* XVI, 18. σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν Ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. Unde sic argumentantur: Super quem fundata est Ecclesia, non potest nisi verum determinare, & per consequens est Theologiæ Principium. Sed super Pontificem fundata est Ecclesia. Ergo. &c. Relicta majore, negatam minorem probant ex cit. loc. Sed sive velint sive nolint, dum ex adducto loco sic argumentari conantur, supponunt hoc effatum tanquam infallibile ac certissimum: Quod docet Scriptura, verum est. Nam alias minorem suam ex Scriptura probare non possent. Deinde subsumunt: Sed super Petrum h. e. Pontificem Romanum ut Successorem Petri (avide adhuc omnes orthodoxi exspectant probationem) ædificatam esse Ecclesiam Scriptura docet. Ergo verum

rum est. Et sic accusationem vitii circuli nunquam, quamdiu sic argumentantur, evitabunt. Nam credunt verum esse quod Scriptura dicit, & ideo credunt quia Ecclesia vel Papa dicit, & vicissim credunt, verum esse quod Ecclesia vel Papa dicit, quia Scriptura Sacra dicit. Ad argumenti probationem respondeo brevissime: Falso Pontificios per πέτραν, in adducto loco, intelligere Petrum Apostolum, falso quoque Romanum Pontificem hodie facere Petri Successorem. Cum juxta *Jus Canon. Decret. P. 1. Dist. 40. Can. 2. Non sanctorum Filii* vel Successores *sint, qui tenent sanctorum loca, sed qui exercent opera eorum.* Quod autem dictus Pontifex ab operibus D. Petri longe secesserit, probavi in *Disputat. de affectantibus Parochiam p. 1.* §. VI. *p.* 25. ex Magnif. Dn. *D. Schelgvigii* Patroni & Præceptoris humilime & devota mente colendi *collegio M. S.* verba illius ibi, si placet, legi possunt.

§. 14. Ut Traditiones suas non scriptas ad Scripturæ supplementum necessarias & pari pietatis affectu & reverentia cum scriptis Canonicis suscipiendas probent, adeoque thesin nostram destruant, (uti putant Pontificii) objiciunt ut palmarium ex 2. *Thess.* II, 15. ἄρα οὖν ἀδελφοὶ στήκετε καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις, ἃς ἐδιδάχθητε εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν. Argumentum: Quicquid Spiritus Sanctus commendat, est observandum & retinendum. Atqui traditiones sive per sermonem sive per epistolam traditas &c. Ergo. Respondetur: (1) An dentur quædam, imo multa, quæ Christus & Apostoli docuerunt, quæ non scripta sint, non est in quæstione, sed an absque his traditionibus omnes articuli fidei homini Christiano ad salutem necessarii in Scriptura sacra Canonica habeantur, vel ex traditionibus non scriptis quidam sint supplendi? Posterius tam diu negabimus, donec Pontificii articulum quendam fidei proponent ad salutem homini Chri-

Christiano necessarium, qui ex traditionibus hauriendus sit, & in Scriptura sacra non inveniatur. Quod autem (2) locum citatum attinet, dupliciter responderi potest: (α) Materiam illius traditionis Apostolicæ fuisse & esse specie eandem, quam per Epistolam Apostolus docuit; traditionem vero & Epistolam esse diversa solum informationis media, non diversa objecta. Nam particula εἴτε non semper disjunctive, sed interdum conjunctive, ut 1. *Cor.* XIII, 8. sumitur. (β) Aliam esse illius, aliam hujus temporis rationem. Tunc enim nondum omnes, cum hæc *Paulus* scriberet, exstabant libri N. T. nunc autem Canon Biblicus omnibus suis partibus est absolutus, ac proinde nihil jam desideratur, quod non sit scriptum. De octo generibus traditionum vid. aureum illud opus *B. Chemnitii Exam. Conc. Trid. de Traditionib. p. m. 60. ad p. 87.* quæ genera traditionum, ut simplicibus fucum faciant Pontificii, studiose confundunt.

§. 15. Ultimæ sententiæ Patroni objiciunt: Principium est, unde aliquid est aut fit aut cognoscitur. Sed ex V. E. concordi suffragio fidem cognosco Catholicam. Ergo concors illud suffragium totius Ecclesiæ verum ac proprium fidei Catholicæ principium censeri potest & debet. Majorem, quia definitio est, extra dubium ponunt. Minorem probant e Scriptura sacra, quæ Ecclesiæ perennitatem & auctoritatem inerrabilem, quam vocant, saltem in fundamentalibus loco non uno ingerit, & ipse Salvator, nunquam fore, ut contra Ecclesiam inferorum portæ sive hæreticorum strophæ & Tyrannorum minæ prævaleant, asserit *Matth.* XVI, 18. velle se eam armare veritatis Spiritu, a quo in veritatem omnem induci debeat *Joh.* XVI, 13. Promisit suæ Ecclesiæ, velle se eidem cum abundanti gratia adesse usque ad consummationem seculi. *Matth.* XXVIII, 20. Quin & Apostolus satis splendide Ecclesiam toto orbe diffusam columnam & firma-

mamentum veritatis appellat 1. *Tim.* III, 15. Quæ elogia vel maxime Ecclesiæ Martyrum Christi congruunt, qui propter veritatis testimonia occisi sunt, fidemque Catholicam non scriptis tantum & viva voce, sed suopte sangvine obsignarunt. Respondetur (1) ad Majorem, quam putant esse perpetuæ veritatis atque infallibilem, cum sit definitio: Quæ tamen in re aut sibi primum, deinde aliis; aut certe aliis egregie imponunt. Non enim hic de quolibet principio, sed de eo, quo tota doctrina de religione salvifica hominis peccatoris tanquam doctrina certa & infallibilis firmissime nitatur, disquiritur: Ast si alio principio, quam Scriptura Sacra Canonica, sive in totum, sive in tantum niteretur, certe fides nostra esset aut non divina, aut non mere divina: Utrumque ἑτεροδοξον. Et hoc est, quod in *Formula Concordiæ p. 632. & Appendice p. 881.* clarissime ac solidissime demonstratur, quod videlicet veram & salvificam fidem nullius veteris, neque recentioris Ecclesiæ Doctoris testimonio, sed solius & unius DEI verbo in scriptis Prophetarum & Apostolorum, testium veritatis cœlestis maxime ἀξιοπίστων, comprehenso, veluti fundamento immoto inniti, genuinosque orthodoxæ Theologiæ cultores futurosque orthodoxos Doctores in tempore astutias Satanæ cognoscere oporteat, data opera id agentis, qua modo ratione homines a scripto verbo, quod Dei beneficio etiam ab idiotis utiliter nunc legi potest, abducat, atque ad sanctorum Patrum, & antiquorum Ecclesiæ Doctorum scripta velut in amplissimum pelagus deducat, ut qui ista non legerit, fintne ea piæ vetustatis & monumentorum ejusdem sententiæ, in quam hi vel illi novi Doctores verba eorum allegant, certo scire nequeant, atque hoc pacto in gravi & periculosa dubitatione relinquantur. Ponamus jam, consensum V. E. principium confirmativum vel roborativum dictum fuisse: Inde tamen non se-

quitur, quod ex sola Scriptura Adversarius absque consensu veterisEcclesiæ non possit, aut quod simul aliunde debeat convinci. Excipies: Limitationem meam pertinere ad principium primarium, non autem ad secundarium. Respondeo: Si unicum principium sufficit, &, quod majus, Deo teste, sufficere debet, quid opus duobus? qua veritate duo urgentur? quod sufficiat unicum, testantur ipsæ sacræ literæ 2. *Tim.* III, 16. 17. quod sufficere debeat *Gal.* I, 8. *Deut.* IV, 2. XII, 32. (2) ad Minorem (α) & summopere contendimus, ut prius consensum omnium PP. veteris Ecclesiæ in doctrinis fidei nobis monstrent, ne disputemus de non causa ut causa, deinde de principio dispiciemus. (β) Ad probationes Minoris brevissime dicimus, Ecclesiam universalem non posse errare, eamque a Spiritu Sancto semper defendi, scil. quatenus sequitur normam & principium unicum Scripturam S. C. Ast inde non sequitur: Ergo consensus E. V. est principium.

§. 16. Qua enim veritate alias *Eph.* II, 20. diceremur *superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum* h. e. Scriptorum Θεοπνεύστων Veteris & Novi Testamenti (nihil namque Scriptores Θεόπνευστοι Novi Testamenti scripserunt aut prædicaverunt extra ea, quæ scripta sunt in Veteri Testamento *Act.* XXVI, 22.) quia scilicet illi tanquam spirituales architecti sua opera suo præconio suisque scriptis Θεοπνεύστοις doctrinam salvificam de Christo tanquam fundamentum spiritualis ædificii seu sancti Templi, ut cum *Paulo versu 21.* loquamur, posuerunt. Sive enim dicamus, Christum ab Apostolis & Prophetis prædicatum esse fundamentum, sive, doctrinam Apostolorum & Prophetarum de Christo esse fundamentum, quoad rem idem dicimus. Quippe ex hoc fundamento certitudinem fidei & salutis suæ habent orthodoxi in Ecclesia, egitque nobiscum Christus per Ministe-

nisterium Apostolorum & Prophetarum, qui soli donum habuerunt infallibilitatis, perque Dei voluntatem ipsi soli, non item cæteri Doctores Ecclesiæ, non solum viva vocis prædicatione, sed etiam ac vel maxime Canonicorum Librorum scriptione perpetuum in Ecclesia fundamentum fidei construxerunt, dum nobis illud tradiderunt in Scripturis sacris Canonicis. Agit sane *Apostolus* de perpetuo totius Ecclesiæ orthodoxæ fundamento ad finem usque mundi duraturo, dum *versu 21.* dicit, omnem ædificationem spiritualem in illo construi: Ast cum Scriptura sacra Canonica semper conjuncta est virtus divina eique insita, per quam interius de seipsa ut Scriptura sacra Canonica (item ut unico, genuino & adæquato principio totius orthodoxæ Theologiæ) simulque ipsos libros suos omnes & singulos quoad se totos, adeoque etiam quoad ipsas voces & idioma ex divina inspiratione esse conscriptos, testatur, ut proxima sequens controversia docebit.

§. 17. Nec est, quod urgeatur, etiam a contrariæ sententiæ Patronis, ex Symbolis librisq; symbolicis hæreses dijudicari, autoresque ac assertores hæresium exinde damnari. Respond. Inde vero non sequitur, Symbola librosque symbolicos esse normam & principium credendorum. *Symbola*, ait *B. D. Heinr. Hopffnerus disp. 6. de justificatione cap. 2. aphor. 6. §. 12. tantum indicant, quæ sint credenda, non autem proprie sunt norma & principium credendorum. Ipsum Symbolum Apostolicum formaliter quoad seriem & structuram ac scriptionem non est divinum ac Canonicum, sed materialiter & quoad articulos verbis illis significatos, quibus ex Scripturæ sacræ desumtis constat Symbolum.* Et huc faciunt verba *Augustini*, quæ habet in explicatione Symboli tum temporis in Latina Ecclesia recepti, *Est*, inquientis, *fides Catholica in Symbolo nota fidelibus, memoriæque mandata, quantum res*

passa est brevitate sermonis, ut incipientibus atque lactentibus eis, qui in Christo renati sunt, nondum Scripturarum divinarum diligentissima & spirituali tractatione atque cognitione roboratis, paucis verbis credenda constitueretur: Proficientibus & ad divinam doctrinam surgentibus, quod multis verbis exponendo esset perficiendum.

§. 18. Quod si ne quidem totum Symbolum Apostolicum, aut ullum aliud sive Symbolum, sive liber symbolicus, sive aliud scriptum præter Scripturam sacram Canonicam, etiamsi in genuino ac orthodoxo sensu accipiatur, mereque orthodoxum sit, principium credendorum totiusque Theologiæ dici meretur, quanto majori falsitate ex communitate solius Symboli Apostolici, in quocunque tandem sensu intelligatur, communitas ὀρθοδοξίας veræque Ecclesiæ colligetur? Quot quantisve contestationibus hæreticus ille per excellentiam *Arius*, communitatem œcumenici Symboli Apostolici, & quod majorem notationem meretur, ipsius Scripturæ sacræ Canonicæ urgebat? Ita enim *Socrates Historiæ Ecclesiasticæ libro primo capite vigesimo sexto, Wolfgango Musculo* interprete: *Illi* (Arius & Evzoius, & reliqui Arii socii, ad conspectum Constantini Imperatoris admissi, numque fidei consentirent, ab eo interrogati, sique consentirent, jussi, ut consensum suum scripto exhiberent) *compositum libellum offerunt Imperatori, qui hujus erat tenoris: Religiosissimo ac pientissimo Domino nostro Imperatori Constantino Arius & Evzoius. Sicut chara Deo pietas tua, Domine Imperator, præcepit, fidem nostram exponimus, & scripto hoc confitemur, quod de Deo & ipsi & qui nobiscum sunt, sicuti subjectum est, credamus. Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem. Et in Dominum Jesum Christum filium ejus, ex eo ante omnia secula genitum Deum verbum, per quem omnia facta sunt, cum quæ in cœlis, tum quæ in terris: qui descendit,*

dit, & incarnatus, & passus est, & resurrexit, & ascendit ad cœlos, & denuo venturus est ad judicandum vivos & mortuos. Et in Sanctum Spiritum, & in carnis resurrectionem, & in vitam venturi seculi & in regnum cœlorum, & in unam Catholicam Dei Ecclesiam a finibus orbis ad fines usque protensam. Et HANC FIDEM EX SACRIS EVANGELIIS ACCEPIMVS, *Domino discipulis suis dicente: Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, SICVT VNIVERSA CATHOLICA ECCLESIA ET SCRIPTVRÆ DOCENT, QVIBVS PER OMNIA CREDIMVS. *Judex noster* DEVS *est, & nunc & in futuro judicio. Quapropter pietatem Tuam, Deo dilectissime Imperator, obsecramus, ut nos cum Ecclesiastici Viri simus,* ET FIDEM, ET SENSVM ECCLESIÆ SENSVMQVE SANCTARVM SCRIPTVRARVM HABEAMVS, *per pacificam & religiosam pietatem tuam diremtis quæstionibus & perissologiis (περισσολογίαις) matri nostræ Ecclesiæ videlicet, unias, ut & nos & Ecclesia in pace degentes, consuetas inter nos preces, propacato imperio omnique genere tuo, communiter cuncti fundamus.* Hactenus *Socrates.*

§. 19. Macedonius Hæreticus ille famosissimus jurabat se omnia ac singula, quæ in Symbolo Apostolico, & in quo plures articuli fidei quam in illo expressi conspiciuntur, Niceno, quoad omnes ac singulas clausulas pro verisimis habere ac certo credere, atque una cum suis quosvis tum temporis hæreticos ex animi sententia detestari, hacque ipsius & sociorum ejus jurata confessione Ecclesiæ Romanæ tum temporis Episcopus, Liberius, adeo sibi imponi patiebatur, ut non modo Macedonianos ad communionem sacræ synaxeos admitteret, sed & ipse orthodoxam religionem heterodoxa commutaret. Mox vero pœnitentia Liberius tangebatur, ipsiq; Macedoniani ab omnibus orthodoxis hæreseos damna-

bantur, ut apud *Socratem l. 4. c. 11. & 12. & Nicephorum lib. 2. c. 7. & 8.* videre est.

§. 20. Paulus Samosatenus conceptis verbis persancte dejerabat, se a scopo finibusque a Scriptura sacra ipsa atque ab Apostolis in confessionibus fidei positis ne latum quidem ungvem unquam sive recessisse, sive recedere voluisse, sive in posterum recessurum esse, hocque suo malitiosissimo perjurio primum efficiebat, ut in primo Concilio Antiocheno absolveretur, in altero vero blasphemiæ crimunisque læsæ Majestatis divinæ reus argueretur, *Eusebio lib. 2. c. 24. & Nicephoro lib. 6. c. 27. & 28.* testibus.

§. 21. Photinus & Socinus ex *Apostolico Symbolo* dijudicari, sique damnari possent, exinde damnari voluerunt, his expressis conditionibus a se positis, ut ne ullum dogma, quod in Apostolico Symbolo nec expressum nec damnatum est, odiosissimo hæreseos Photinianæ aut Socinianæ nomine traduceretur: & ex opposito, ne, quod ut dogma homini salvando creditu necessarium nominetenus in Symbolo isto non traditur, ut creditu necessarium dogma obtruderetur.

§. 22. Quid? quod nulla est hæresis, nulla ἑτεροδοξία, quæ aperte fateatur, se literali sensui Symboli Apostolici aperte contradicere. Ergo stante eo, quod a communitate Symboli Apostolici ad ὀρθοδοξίας veræque Ecclesiæ communitatem consequentia valeat, omnes omnino Marcionitæ, Marcitæ, Novatiani, Sabelliani Patriquepassiani, Samosateniani, Ariani, Eunomiani, Macedoniani, Donatistæ, Photiniani, Pelagiani, Nestoriani, Eutychiani, Anabaptistæ, Sociniani, orthodoxæ ac veræ Ecclesiæ membra forent, utpote qui omnes Symbolo Apostolico ex animi Deo perspecti sententia sese subscribere, illudque una cum ejus genuino sensu corde æque ac ore manuque approbare testati sunt, quod cre-

credat ſenex Apelles, quo de *Euſebius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 5. cap. 13.* refert, eum, cum a pio & conſtanti veritatis cœleſtis confeſſore Rhodone ſe ad abſurdum deductum multiplicisque falſi convictum agnoviſſet, excuſationis loco dixiſſe: *Non eſſe omnino examinandam fidem; ſed unumquemque in eo, quod ſemel imbibiſſet, perſtare oportere. Quippe eos, qui in crucifixo* (Salvatore ac Domino noſtro Jeſu Chriſto) *ſpem ſuam collocaſſent, ſervandos eſſe affirmabat, dummodo in bonis operibus deprehenderentur.* Hæc *Euſebius*, interprete *Henr. Valeſio.* Huc hiſtoria Pacificantium tempore Zenonis Imperatoris apud *Euſebium, Philaſtrium, Auguſtinum, Evagrium* merito ſpectat.

§. 23. Eo proh dolor! res rediit, ut multi immane quantum ab orthodoxæ Eccleſiæ Symbolis librisque ſymbolicis diſſentientes fateantur ſe per omnia cum iis conſentire. Nec vero hoc quicquam novi eſt: Fecerunt hæretici ſuperiorum ſeculorum, fecerunt facientque hæretici noſtri temporis ac ævi. Unicum exemplum tetigiſſe juvabit. Ecquis neſcit, pejorem aliam hodie non reperiri hæreſi Socini, ipſosque Socinianos ſatisfactionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, veramque Divinitatem ejus, absque qua ſatisfactio pro totius mundi peccatis eſſe nequiviſſet, reſpectu Dei & Patris Domini noſtri Jeſu Chriſti moraliter; reſpectu vero ipſius Chriſti phyſice & moraliter impoſſibilem, & ſtolidiſſimum, pernitioſiſſimum, ineptiſſimumque commentum vocare: *Johannes Crellius* tamen Socini hyperaspiſtes in *reſponſione ad tractatum Hugonis Grotii adverſus* ipſum *Socinum* conſcriptum, cum in fronte libri ſui *Grotius* ſententiam Catholicam de ſatisfactione Chriſti propoſuiſſet, prolixamque ſatis claris ac perſpicuis verbis confeſſionem edidiſſet, eam repetit hancque ſubjungit Ὑπόμνησιν: *Hæc verba, ſi dextre accipiantur, admitti a nobis poſſunt univerſa. pag. 4.* Ita nempe fieri poteſt ac ſæpenumero fit, ut iisdem verbis po-

posita a se asserta tam longe ab invicem distent, ὅσον ἀφ' ἑσπέρας ἐφ' ἑῶ γῆς, ut Christus & Belial. Utinam purioris Theologiæ Studiosi intra animos reciperent Paternum B. *D. Martini Chemnitii* monitum: *Dum plerique*, ajentis, *existimant tantum inanes esse λογομαχίας, minus curantur & observantur adversariorum machinationes.* Descripserat paulo ante usitatum artificium illud, quando rebus ipsis bellum indicitur, dum insidiose moventur contentiones de modis loquendi. *Tract. de necessitate B. O. parti tertiæ LL. Th. annexo p. 43.*

§. 24. Ita vidimus, quodnam sit unicum, genuinum & adæquatum principium orthodoxæ Theologiæ? Obiter addimus, cum quæstione: An Scriptura sacra sit unicum, genuinum & adæquatum principium orthodoxæ Theologiæ? in rei veritate coincidere sequentes quæstiones: An Scriptura sacra sit perfecta, h. e. omnia cum fidei tum morum dogmata homini salvando cognitu necessaria, ex Scriptura sacra haberi possint ac debeant? Et, an Scriptura sacra sit unica, genuina & adæquata norma omnium dogmatum de creditu factuque necessariis homini salvando, omniumque adeo controversiarum de fide & religione? Itemque, an Scriptura sacra sit Judex Controversiarum de fide & religione? Quas tamen ut toto cœlo distantes ab invicem quæstiones Pontificii tractant, ut imperitorum oculis glaucoma objiciant. Lubet ea, quæ hucusque tradita sunt, verbis *Wendelini* (utinam verba factis respondissent) quæ in *Theologiæ suæ Christianæ prolegomenis cap. I.* & quidem in *explicatione theseos ultimæ* extant, obsignare: *Igitur in tradenda salutis doctrina & Theologia Christiana* (quam *thes. 2.* h. m. definiverat: *Est doctrina de vera religione ad salutem obtinendam a Deo patefacta & verbo Dei scripto plene consignata in ejus gloriam*) *non indulgendum est humanis speculationibus, sed ad solam Dei patefactionem animus intendendus. Vtque ICti erubescunt sine lege loqui, sic & Theologi sine Dei verbo.*

DISPUTATIO II.

CONTROVERSIA V.

Scriptura Sacra Canonica quoad voces, ſyllabas, literas, & res etiam naturaliter ac aliunde Scriptoribus θεοπνεύστοις cognitas, inſpirata ac revelata, abſque peculiari Spiritus Sancti illuminatione ſalutariter intelligi nequit.

§. I.

Hanc theſin cum jam tum *Diſputatione mea de affectantibus Parochiam P. I. §. VI. imprimis §. XII. p. 12.* quoad primum membrum tetigerim, brevibus hic me expediam. Intercedit hæc Controverſia nobis non ſolummodo cum *Socinianis*, qui uti negant, Scripturam Sacram totam quoad omnes voces, ſyllabas & apices a Deo inſpiratam eſſe, urgentque, quod Viri θεόπνευστοι in rebus minimi momenti facile falli potuerint, prout in *citata Diſputatione* oſtenſum fuit: ita affirmant, hominem abſque peculiari Spiritus Sancti gratia eam ſalutariter intelligere poſſe. vid. *Oſtorodi* verba adducta *in Collegio Anti-Sociniano B. D. Scherzeri p. m. 28.* Sed & cum aliis (inter quos eſt *Franziſcus Suarez*, qui *Diſp. V. de fide ſect. 3. n. 5.* videatur) ſe non videre dicentibus rationem,

ob quam singula, quæ in Scriptura Sacra, utut recte divina dicatur, divinæ peculiari revelationi imputari oporteat, v. g. de duobus filiis Abrahami, de Patre Davidis, quæ sunt exempla *Thomæ*, de serie & successione Regum Hierosolymæ & Samariæ, quod Herodes fuerit Rex Judææ, Pilatus Præses, aut quod Timotheo scribit S. Paulus, penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, adfer cum venies, &c. cum sufficiat evicisse, quod præcipua, sive quæ primario & per se respicit ac intendit Scriptura, nempe quæ redemptionem & salutem generis humani attinent, non nisi divinæ illi peculiari revelationi debeantur: in cæteris vero, quæ aliunde sive per experientiam sive per lumen naturæ nota, consignandis divina adsistentia & spiritu ita Scriptores fuerint gubernati, ne quicquam scriberent, quod non esset ex re, vero, decoro, congruo.

§. 2. Verum si quædam a Viris θεοπνεύστοις tantum adsistentia Spiritus Sancti scripta sunt, totam quidem Spiritus Sanctus præstitisset infallibilem, nondum tamen proprie θεόπνευστον. Idem *B. D. Dannhaverus* urget in *Hodos. pag. m. 35.* Si enim actum Spiritus Sancti circa conscripti codicis res, quæ neutiquam ad redemptionem & salutem generis humani per se spectant, saltem in adsistentia constitisse crederemus, neque tota Scriptura quoad singula revelata esset, neque tota Scriptura divinitus inspirata esset dicique posset, quod cum Scriptura Sacra Canonica e diametro pugnat. Nec vero huc quadrat distinctio inter revelationem & inspirationem, quæ certe hoc loco coincidunt.

§. 3. Βεβαίωσις. Probo (1) quod tota Scriptura Sacra Canonica sit revelata & inspirata, quoad voces, syllabas & literas *ex* 2. *Tim.* III, 16. πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος. Si tota Scriptura a Deo inspirata est, sequitur, quod etiam quoad omnes voces, syllabas & literas a Deo sit inspirata: Alias enim non pos-

posset dici *tota inspirata.* (2) Quod ea absque peculiari illuminatione Spiritus Sancti salutariter intelligi nequeat, ex 1. *Cor.* II, 14. ψυχικὸς ἄνθρωπος δὲ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ. μωρία γὰρ αὐτῷ ἐστι, καὶ δὲ δύναται γνῶναι, ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται. Inde sic datur colligere: Quicunque non intelligit, quæ sunt Spiritus Dei, adeo ut ei stultitia sint, atque ab ipso dijudicari nequeant, ille absque peculiari Spiritus Sancti illuminatione non intelligit Scripturam Sacram Canonicam. Atqui ψυχικὸς ἄνθρωπος &c. Ergo. Major est manifesta. Minorem probat ipse Spiritus Sanctus, ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται, *quia spiritualiter dijudicantur.*

§. 4. Quid contra primum Theseos membrum Patroni contrariæ sententiæ ex Scriptura Sacra Canonica adferrent, nondum invenerunt, indeque in meras abiere conjecturas. Conjicit (1) *Franc. Suarez, non esse verisimile aut probabile, ea, quæ Scriptoribus Sacris ante fuerant nota, ipsismet fuisse a Spiritu Sancto peculiariter inspirata.* Respondetur *Suarezio* ratione sua assequi hæc talia volenti, non valenti, in Theologicis rebus rationem fidei exulare & captivandam esse. Sive igitur rationi ejus verisimile videatur, sive minime, sufficit nobis, ipsique ac omnibus omnino sufficere debet illud: Αὐτὸς ἔφα, IPSA VERITAS DIXIT. Nitimur namque Scripturæ Sacræ Canonicæ summa auctoritate, testantis se totam esse divinitus inspiratam, & sanctos DEI homines, Scriptores scilicet θεοπνεύστους, nihil ex propria voluntate protulisse, sed in omnibus, sive alias notis, sive ignotis, motos, actos, impulsos fuisse a Spiritu Sancto *2. Petr. 1. versu ultimo.* Colligunt (2) alii, sicut ipsi Scriptores sacri non apprehenderint talia tanquam peculiariter a DEO revelata, ita nec esse, quod ad eum modum apprehendantur, vel eo modo revelata esse credantur: Ast quæstio non est, num Spiritus Sanctus, si voluisset, suo cujusque Scriptoris arbitrio

& argumentum ſcriptionis & verborum delectum committere, quam diu non aberrarent; aberraturos autem flexa mente & calamo alio quaſi in viam reducere potuiſſet, quam *negativã directionem* Doctores Scholæ appellant? qua admiſſa nihil acturus & collaturus fuiſſet Spiritus *S*anctus, quamdiu errandi periculum non imminuiſſet. *S*ed, quid circa *S*criptur*a*m *S*acram Canonicam fecerit *S*piritus *S*anctus? Vbi, ut modo diximus, absque veritatis cœleſtis diſpendio dici aliter nequit, quam quod omne ſcriptionis genus, adeoque & res & ſententias quocunque modo ante cognitas cum ordine ac diſpoſitione & verborum contextu ſuppeditaverit. Profecto inſpirare plus eſt, quam ſcriptori contra errandi periculum adeſſe & opem ferre. Certe eſt, ſcribenda ipſa dictando ſuggerere.

§. 5. Contra alterum theſeos membrum *Sociniani* aliique ita communiter argumentantur: *S*i homo *S*cripturam *S*acram absque peculiari *S*piritus *S*ancti illuminatione intelligere nequit, ſequitur *S*criptur*a*m eſſe obſcuram. *S*ed prius eſt. Ergo. Reſpondetur: negando majorem: nam illa obſcuritas non eſt in *S*criptura *S*acra, imprimis in locis iſtis, in quibus fundatur articulus fidei, qui ſi non in uno, altero tamen loco clarus erit, ſed in mente legentis, quæ absque illuminatione *S*piritus *S*ancti tenebræ & caligo eſt. *Eph. IV, 18. Joh. I, 9. 10.* Deinde aliud eſt *intelligere Scripturam*, & aliud *intelligere ſalutariter*; Quilibet quidem, qui callet regulas hermeneuticas, intelligit Scripturam, ſed non ſalutariter ſtatim. Deniq; non debent confundi *evidentia* & *perſpicuitas*: Scriptura Sacra eſt quidem clara quoad verba, ſed non eſt evidens quoad res verbis ſignificatas, ita ut absque *S*piritus *S*ancti peculiari gratia & in quantum voces per nativum ſonum ſunt intelligibiles, ipſas res contentas ſive myſteria etiam quilibet irregenitus intelligere queat. Vid. *B. D. Hulſemannus de auxil. gratiæ pag. 201.*

CON-

37.

CONTROVERSIA VI.

Scriptura Sacra Canonica materialiter ac formaliter spectata est organon efficax, per quod Spiritus S. divina in homine operatur, tanquam per instrumentum operativum, quod intellectum illuminat, omnes facultates hominis regenerat atque renovat per intrinsecam suam naturam ac virtutem: Non autem tantum actu secundo, sed etiam in sese & ante omnem usum hanc habet virtutem.

§. 1.

Hæc Thesis opposita est Fanaticis, in specie *Casp. Schwenckfeldio*, Nobili quondam Silesio, qui quod Deus per verbum suum ex Scripturis Canonicis V. & N. T. prædicatum & auditum spiritualia sua dona nobis conferat h. e. mentes nostras illuminet nosque regeneret ac convertat, & fidem salutemque nostram operetur, malitiose pernegavit. Vid. ipse *L. II. de Scriptura Sacra. f. 27.* Breviter: omnem plane Scripturæ Sacræ denegavit efficaciam, asserens *nullum aliud proprie verbum DEI præter verbum hypostaticum esse.*

§. 2. Hunc secutus *Andr. Osiander* im getreuen Nürnber-

gischen Rathschlag/ qui itidem præter verbum Dei hypostaticum proprie aliud dari verbum DEI confiteri recusavit. Nam *verbum quod legitur*, inquit, *tantum est verbum humanum*.

§. 3. Osiandri errorem deinde amplexus est *M. Herm. Rathmannus*, Ecclesiæ Patriæ Minister, cui imprimis hanc opposui thesin: Is enim omnem efficaciam intrinsecam Scripturæ Sacræ denegavit, eamque pro nudo instrumento passivo habuit, quæ, quemadmodum instrumentum non agit nisi moveatur, v. g. securis non scindit, nisi faber lignarius securi vim quandam indat; ita neminem convertat, nisi ei Spiritus Sanctus virtutem convertendi dederit. Vid. ipsius **Bedencken** *p.* 49. Credas ipsum Scripturæ Sacræ non efficaciam, sed efficaciam & virtutem internam denegare, dum eam inanimatis instrumentis, quale securis est, comparat, atque distingvit inter Scripturam Sacram chartæ traditam, & inter verbum DEI vivum, in sua operatione a Deo constitutum.

§. 4. De *Movii* easdem inflantis cum *Rathmanno* tibias, *Calvinianorum* frivolo sensu distingventium inter verbum internum & externum, *Pontificiorum* Scripturam Sacram impie contemnentium erroribus, brevitati studens jam nihil addo.

§. 5. Thesin meam (1) contra *Schwenckfeldium* & *Osiandrum* probo ex *Rom. III, 2.* ubi expresse Spiritus Sanctus Scripturam Sacram vocat τὰ λόγια τῦ Θεῦ. *B. Lutherus* vertit: **Was Gott geredet hat**: Ex quo manifeste apparet, verbum προφορικὸν & ὑποστατικὸν hîc distingvi; quippe nusquam Filius DEI dicitur in Scripturis Sacris τὰ λόγια, sed ὁ λόγος. Imo sic *Schwenckfeldius* & *Osiander* concedere tenerentur, plura dari verba ὑποστατικὰ, cum Spiritus Sanctus hic loquatur in numero multitudinis, nisi admittere velint verbum DEI ab hypostatico distinctum. Igitur ex *Apostoli* verbis sic infero:

Quic-

Quicquid Spiritus Sanctus in numero multitudinis de Scriptura Sacra ut de verbo προφορικῷ profert, hoc non licet in numero unitatis de certa quadam intelligere persona. Sed Spiritus Sanctus verba: τὰ λόγια τȣ̃ Θεȣ̃, ut distingveret inter verbum προφορικὸν & hypostaticum, in numero multitudinis de Scriptura Sacra ut de verbo προφορικῷ profert. Ergo. Major est certa. Minor probatur, quia neque Spiritus Sanctus, nec quisquam alius Filium DEI vocavit τὰ λόγια.

§.6. Probo (2) contra *Rathmannum* &c. Scripturam Sacram esse intrinsece atque in se, etiam extra usum, efficax medium convertendi &c. ex *Rom. I, 16.* τὸ εὐαγγέλιον τȣ̃ Χριστȣ̃ δύναμις Θεȣ̃ ἐστιν εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι. Hic brevissime notandum, quod Apostolus vocabulo δύναμις (quod alias contradistingvit vocabulis ἐνέργεια τῆς δυνάμεως) utatur, ut differentiam instituat quasi inter actum primum & secundum. Per hæc, quæ alias in Nov. Test. a Paulo ἐνέργεια dicuntur, ut *Ephes. I, 19. cap. III, 7.* intelligit actum secundum, per illud, quod hic sumitur pro δυνάμει ἐνεργητικῇ sive potentia operandi actum primum. Unde sic infero: Si Evangelium sive doctrina Christi est potentia DEI (& quidem in actu primo extra operationem Spiritus S.) ad salutem; sequitur non nudum esse instrumentum, quale e.gr. est securis. Sed prius est. Ergo. Major probatur, quia nullum nudum ejusmodi instrumentum est vel unquam in abstracto dicitur potentia, uti hic Scriptura Sacra. Quo vocabulo sufficientissime indicatur virtus atque vis cooperativa, quam ut instrumentum cooperativum Spiritus Sancti habet. Minor est Spiritus Sancti. Conf. cum h. l. *Ebr. IV, 12.* Ad similia *Rathmanni* respondeo verbis BB. *Theologorum Jenensium in Appendice Dedekenni Consil. p. 224. a.* citatorum: *Securis est instrumentum non conjunctum sed separatum, non vivum, sed inanime; vel agit virtute nõ insita sed extrinsecȣ impressa, unde vocatur*

ex

ex hypothesi præsertim Rathmanni instrumentum passivum, quamvis suo modo in usu agat. Contra vero manus in corpore animato est instrumentum conjunctum, vivum, insita & intrinseca vi agens, unde vocatur instrumentum activum & cooperativum. Et hunc in modum etiam Scripturam Sacram instrumentum esse prolixius demonstrarunt, qui consulantur.

§. 7. Objicitur a *Schwenckfeldio* & aliis locus ex *2. Cor.* III, 6. τὸ γράμμα ἀποκτέινει, τὸ πνεῦμα ζωοποιεῖ. Per γράμμα autem intelligunt totam Scripturam Sacram, per πνεῦμα vero verbum Dei hypostaticum, ut probent verbum, quod nos Scripturam Sacram dicimus, esse nullius usus. Sic enim argumentantur: *Litera occidit, Spiritus autem vivificat: Litera vero est Sacra Scriptura, vel verbum externum. Ergo Scriptura Sacra vel verbum externum occidit & non vivificat.* Respondetur: Per τὸ γράμμα non intelligitur tota Scriptura Sacra, sed tantum Lex Mosis, quæ ideo litera vocatur, quia Moses nihil de monte afferebat aliud quam literas, sive legem literis consignatam in lapideis tabulis. Per τὸ πνεῦμα autem intelligitur doctrina N. T. & in specie Evangelium Christi: Jam vero Lex Mosis dicitur hominem occidere, quia sola prædicata hominem peccatorem reum arguit divinæ iræ, mortis ac maledictionis, unde *Apostolus* eam mox διακονίαν τῦ θανάτυ *vers. 7.* vocat & alibi inquit: ὁ νόμος ὀργὴν κατεργάζεται *Rom.* IV, 15. & sic hominem spiritualiter occidit. Non vero occideret, si homo perfecte eam servaret, sicut scriptum est: (חֻקֹּתַי scil.) אֲשֶׁר יַעֲשֶׂה אֹתָם הָאָדָם וָחַי בָּהֶם: *Levit.* XVIII, 5. Spiritus dicitur Evangelium, quia per Evangelium Spiritus Sanctus, vivificans corda nostra, & accendens in eis fidem & motus spirituales, confertur. *Gal.* III, 2. Et sic Adversarii a dicto secundum quid, ad dictum simpliciter colligunt: Non enim litera significat totam ac integram scripturam, ceu demonstravimus.

§. 8. *Rath-*

41.

§. 8. *Rathmannus* & complices objiciunt *Joh.* XVI, 13. τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας ὁδηγήσῃ ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. Unde sic concludunt: Si Spiritus veritatis nos ducit in omnem veritatem, sequitur, quod etiam ducat in veritatem scriptam, sine qua Scriptura Sacra non potest salutariter cognosci. Prius est. Ergo. Et sic Spiritus Sanctus, antequam homo Scripturam legit vel audit, operatur. Sed respondetur: Ducit Spiritus Sanctus in omnem veritatem, etiam in veritatem scriptam, non immediate, sed mediante Scriptura Sacra, ut Scriptura per Scripturam intelligatur. Unde sic Major limitanda: Si Spiritus Sanctus absque Scriptura Sacra nos ducit, &c. Sed ita negatur Minor.

CONTROVERSIA VII.

Doctrinam de Mysterio SS. Trinitatis fidelibus in V. T. revelatam fuisse, exque eo Trinitatem negantes convinci posse, certo credimus.

§. 1.

Circa statum Controversiæ monendum (1) quamvis unam posuerim thesin, duas tamen esse distinctas quæstiones. (2) Non quæri, an doctrina de Mysterio SS. Trinitatis adeo manifeste revelata sit in V. atque in N. Testamento? Hoc enim quilibet negabit. Hinc B. *Lutherus* sæpenumero dicere consvevit, *a Sole Novi Testamenti Lunam Veteris Testamenti illustrari.* Nec an adhibito Novo Testamento hoc Mysterium quilibet facilius intelligere possit? quod nemo ibit inficias. Nec de eo quæstionem esse, an Prophetis, Patriarchis atque Sacerdotibus magis notum fuerit, quam

cæteris fidelibus simplicibus? nec huic contradicitur, sed potius ideo affirmatur, ut probetur per illos, hos fuisse informatos. Sed hoc venit in disquisitionem: An doctrina de Mysterio SS. Trinitatis ita fidelibus in V. T. revelata fuerit, ut quilibet de unitate essentiæ & Trinitate personarum divinarum certus esse potuerit, hæcque notitia num necessaria fuerit ad salutem? quod affirmatur.

§. 2. Circa alterum membrum observandum, non disquiri, an contradicentes ita convinci possint ex V. T. ut amplius nihil, quod objiciant, habeant? Sic neque adhibito Novo sese convincere patiuntur, quod proh dolor! etiamnum in *Socinianis*, qui Novum Testamentum admittunt, experimur, qui quamvis αὐτοκατάκριτοι, tamen semper ad quælibet quid excipiant, habent. Sed huc redit quæstio: an ita ex V. T. convinci possint, ut in conscientia se convictos esse sentiant? quod affirmatur.

§. 3. Thesin probo quoad prius membrum ex *Act.* XV, 11. πιστεύομεν σωθῆναι, καθ' ὃν τρόπον κἀκεῖνοι scil. οἱ πατέρες ἡμῶν *vers. 10.* Unde sic concludo: Quicunque in N. T. vult salvus fieri, opus habet ut veneretur totam SS. Trinitatem, h. e. unum Deum in Trinitate & Trinitatem in unitate, juxta Symbolum Athanasianum. Sed in N. T. omnes salvamur ad eundem plane modum, quo Patres nostri in Veteri Testamento. Ergo fideles in V. T. salvati sunt per venerationem (& sic etiam habuerunt notitiam SS. Mysterii Trinitatis: veneratio enim præsupponit notitiam) SS. Trinitatis, h. e. unitatis in Trinitate & Trinitatis in unitate.

§. 4. Alterum membrum probo: Quocunque medio Christus, Evangelistæ & Apostoli contra Judæos aliosque contradicentes SS. Trinitatem probare poterant, eodem & nos contra Adversarios eam probare possumus. Sed ex V. T. (nam Novum nondum erat scriptum) Christus, Evangelistæ

&

& Apoſtoli convincebant Judæos. Ergo. Major probatur: quia & nos illud adhuc habemus medium, nempe Scripta V. T. Minor probatur ex *Luc.* XXIV, 27. 32. *Matth.* XXII, 43, *ſeqq.* *Hebr.* I, 5, *ſeqq. it.* 13. *Act.* VIII, 35. 37. *cap.* X, 43. *cap.* XXVI, 22.

§. 5. Contra prius membrum objicitur *Rom.* XVI, 25. τὸ εὐαγγέλιόν μȣ καὶ τὸ κήρυγμα Ιησȣ Χριστȣ, κατ' ἀποκάλυψιν μυστηρίȣ χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένȣ. Unde ſic concluditur: Si Evangelium de Chriſto a temporibus æternis tacitum fuit, ſequitur fideles in V. T. de Chriſto nilſciviſſe. Prius eſt. Ergo. Reſpondetur breviſſime: Addenda ſunt verba ſequentia verſiculi 26. διά τε γραφῶν προφητικῶν, κατ' ἐπιταγὴν τȣ αἰωνίȣ Θεȣ, εἰς ὑπακοὴν πίστεως, εἰς πάντα τὰ ἔθνη γνωρισθέντα. *Per Scripturas Propheticas juxta ordinationem æterni Dei, in obedientiam fidei in omnes gentes patefacti.*

§. 6. Circa poſterius membrum objicitur experientia, nunquam Judæos ita poſſe convinci, niſi Spiritus Sanctus ſingulari gratia objectionibus obicem ponat. Reſpondetur: a malitia opponentis ad inefficaciam Scripturæ V. T. non valet conſequentia. Alias contra Socinianos, Pontificios aliosque Adverſarios diſputantes nunquam haberent Scripturam ſive Veteris ſive Novi Teſtamenti efficacem.

CONTROVERSIA IIX.

Chriſtum Perſonam SS. Trinitatis ſecundam in V. T. Patribus apparuiſſe firmiter probari poteſt.

§. 1.

Deum Patribus in V. T. apparuiſſe, contra ipſam Spiritus Sancti aſſertionem nemo negabit, ſed modus appari-

tionis est controversus. Quæritur itaque, an hæc vel illa apparitio Filio DEI tribuenda? Quod tamen non ita accipiendum, ac si ab eo corpus humanum ad tempus assumptum, hypostatice illi unitum fuerit, quod expresse negamus, quia Christus demum in plenitudine temporis, & diu post has apparitiones humanam naturam assumpsit. *Gal.* IV, 4. Quod autem semel assumpsit, scilicet hypostatice, nunquam deposuit.

§. 2. Thesis probatur ex *Genes.* XIIX. ubi unum ex his tribus Viris, qui Abrahamo in querceto Mamre apparuerunt, fuisse ipsum Deum immediate in assumpta visibili forma apparentem, reliquos autem duos comites ejus fuisse angelos, firmissime probari posse credo. Disertis enim verbis *vers. 1. 13. 17. 20. 22. 26. 33.* absque ullo additamento vocatur יהוה, qui duobus angelis Sodomam missis *Genes.* XIX, 13. solus cum Abrahamo remansit. XIIX, *22. 23.* Conf. *Genes.* XIX, 1. Accedit quod ab Abrahamo *cap.* XVIII, 25. *Judex universæ terræ* expresse vocetur, quod epitheton nulli creato angelo, sed soli vero Deo competit. Quid? quod ille unus, qui cum Abrahamo loquebatur, dicebat *cap.* XIIX, 20. *clamorem Sodom ad se venisse:* Duo autem reliqui illi viri h. e. duo angeli (ceu *Genes.* XIX, 1. expresis verbis dicuntur) ab ipso missi ad perdendam civitatem, dicebant clamorem Sodom venisse ad Jehovam, seque ab ipso missos esse ad perdendam civitatem: Quod autem Vir ille, quem Abrahamus allocutus est, quique procul dubio & forma corporis & majestate vultus excelluit & reliquos duos antecelluit, fuerit ordinarius iste Orator *SS.* Trinitatis, & interpres divinæ voluntatis, colligere datur ex *Joh.* VIII, 56. *& cap.* V, 22. In priori loco dicitur Abraham ejus diem vidisse, quod de die incarnationis intelligi non potest, quia tum temporis Abraham diem suum extremum jam diu obie-

obierat, uti recte inferebant Judæi. Ex altero loco patet, cur Christus sit & dicatur Judex universi orbis, quia Deus Filio τὴν κρίσιν πᾶσαν δέδωκε, *omne judicium dedit*. Unde loco citato *Genes.* XIIX,25. שֹׁפֵט כָּל־הָאָרֶץ *Judex universæ terræ* nuncupatur, e quibus idem probari posse confido. Ratio instituti mei plura adducere non permittit.

§. 3. Objicitur (1) ex *Ebr.* XIII, 2. expresse dici *Arahamum hospitio tres Angelos excepisse*. Respondetur: Verba textus avthentici hæc sunt: τῆς φιλοξενίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε· διὰ ταύτης γὰρ ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους. *Hospitalitatis ne sitis immemores, per hanc enim quidam inscii exceperunt Angelos hospitio.* Ubi nullus numerus invenitur determinatus: quod autem Abrahamus Angelos hospitio exceperit, non imus inficias, duo enim fuerunt Angeli *Gen.* XIX, 1. sed inde non sequitur: Si duo fuerunt Angeli, tertius non fuit persona divina. Regeri solet, *Paulum*, si Abrahamus ipsum Filium Dei hospitio excepisset, hoc ipsum ceu longe validius argumentum adducturum fuisse ac dicturum: Hospitalitatis ne sitis immemores, quia per hanc quidam inscii Deum (Filium DEI) hospitio exceperunt. Respondetur: Paulus non ad solam Abrahami *Gen.* XIIX, sed etiam ad Lothi *Gen.* XIX. historiam respicit: Ast Lothus ipsum Deum (Filium DEI) non exceperat hospitio, sed tantum duos creatos Angelos: non ergo potuisset in plurali dicere, quod τινὲς *quidam* Deum (recte autem, quod quidam Angelos) exceperint hospitio.

§. 4. Objicitur (2) Locus *Ebr.* I, 1. Πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως πάλαι ὁ Θεὸς λαλήσας τοῖς πατράσιν ἐν τοῖς προφήταις, ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν τούτων ἐλάλησεν ἡμῖν ἐν υἱῷ. Unde ita concludunt: Si Deus multis vicibus, multisque modis olim locutus est Patribus per Prophetas, ultimis autem diebus hisce locutus est nobis per Filium, sequitur Filium in V. T. non apparuisse. Prius est. Ergo. Respondetur: Major vacillat,

quam ita limito: Si Deus Patribus ſemper *ac tantum* locutus eſt per Prophetas &c. *S*ed ſic nego minorem. Nam unius poſitio non eſt alterius excluſio. Dicis, expreſſe V. & N. T. ſibi opponi & in V. T. dici locutum fuiſſe per Prophetas, in N. vero T. per Filium. Reſpond. in V. T. *ordinarie* per Prophetas, ſed aliquando etiam *extraordinarie* per Filium: In N. vero T. poſtquam Filius aſſumſit humanam naturam, tunc ordinarie hominibus voluntatem Patris revelaſſe.

§. 5. Objicitur (3) Si Filius apparuit, aut apparuit per incarnationem, aut per aſſumptionem corporis. Illud non dici poteſt. Si hoc, vel apparuerunt omnes perſonæ, vel ſi una, opera ad extra erunt diviſa. Reſpondetur: Idem valeret de incarnatione, de apparitione in forma columbæ &c. Breviter: Opera Dei ad extra emanantia perſonalia, quæ extra Deitatis ſinum peracta uni certæ perſonæ per appropriationem οἰκονομικὴν competunt, ſunt a tota Trinitate *effective* & referuntur ad unam perſonam *terminative*, ab omnibus quoad actum, ad unam quoad terminum. Præclare id exponit B. *Lutherus Tom. VIII. Jenenſ. fol. 165. b.*

CONTROVERSIA IX.

Deus verus eſt unus in eſſentia & trinus in Perſonis, Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus.

§. 1.

Hæc theſis jam olim multos veterum hæreticorum, Valentinianos, Colorbaſios, Heracleonitas, Florianos, Cerdonianos, Marcionitas, Manichæos, Sabellianos, Samoſatenianos, Arianos, Eunomianos, Macedonianos, Donatiſtas, Photinianos, Tritheitas, ac etiamnum hodie Socinia-

nianos offendit, contra quos nunc disputo: Hi enim negant Deum esse trinum, voluntque unam tantum esse Divinitatis personam, & miserrime omnia dicta clasica, quibus Deitatem Christi Deo Patri in omnibus similem probare conamur, in varios sensus detorquent. Spiritum Sanctum quoque negant esse personam divinam, aliique virtutem, alii effectum Dei, alii nescio quid esse somniant. Et quemadmodum in omnibus ferme articulis fidei, magis nostram sententiam destruere, quam partes suas tueri, sic etiam imprimis in hoc de SS. Trinitate articulo summopere student.

§. 2. Probatur itaque thesis nostra sequenti ratiocinio, in quo totum SS. Trinitatis Mysterium fundari credo: Verus Deus est in essentia unus Deus. Atqui hæ tres realiter inter se distinctæ personæ: Pater, Filius & Spiritus Sanctus sunt verus Deus. Ergo hæ tres realiter inter se distinctæ personæ: Pater, Filius & Spiritus Sanctus sunt in essentia unus Deus. Majorem probo *Deut. VI, 4.* שְׁמַע יִשְׂרָאֵל יְהוָה אֱלֹהֵינוּ יְהוָה אֶחָד׃ quod repetitur *Marc.* XII, 29. Ἄκουε Ἰσραὴλ, κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν κύριος εἷς ἐστι. Et ex 1. *Joh.* V, 7. τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα· καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι. Minorem probo (1) quod Pater, Filius & Spiritus Sanctus sint recte ac proprie sic dictæ personæ, ex verbis Christi *Matth.* XXVIII, 19. Πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Certe in cujus nomine baptizamur, is est persona. In Patris nomine baptizamur. Ergo Pater est persona. In Filii nomine baptizamur. Ergo Filius est persona. In Spiritus Sancti nomine baptizamur. Ergo Spiritus Sanctus est persona. Accedit quod de persona DEI Patris nunquam sit dubitatum, quamvis eam non omnes hæretici sub charactere paterno agnoverint, aut adhuc agnoscant: Filii autem *Ebr.* I, 5. notio per se statim personam indi-

dicat. Denique Spiritui Sancto talia opera tribuuntur, quæ non nisi in personam possunt cadere. 1. *Cor.* XII, 11. *Act.* I, 16. *Ebr.* III, 17. 2. *Petr.* I, 21. *Joh.* XVI, 8. XIV, 16. (2) Quod personæ divinæ sint realiter inter se distinctæ, ex *Joh.* XIV, 16. 17. probatur: Καὶ ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν πατέρα, καὶ ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν, ἵνα μένῃ μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα. Τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας &c. Sermo, qui hic habetur, est Christi, quod indicat pronomen ἐγώ, Patris vero & Spiritus Sancti expressa mentio fit, & cuilibet personæ alia adscribitur actio. (3) Probo has tres personas esse verum Deum: (α) De Patre probo esse verum Deum ex *Joh.* XVII, 3. Αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν. (β) Christi divinitas & simul etiam humanitas ejus probatur ex *Rom.* IX, 5. ubi Christus dicitur esse ἐκ τῶν scilic. πατέρων, τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς, εἰς τοὺς αἰῶνας. Nam qui est supra omnia DEUS laudandus in secula (certe prædicata solius DEI) est omnino verus DEUS. Atqui Christus &c. Ergo. Conf. 1. *Joh.* V, 20. ubi Christus expresse dicitur ὁ ἀληθινὸς Θεός. Exceptiones futiles Socinianorum circa vocabulum ἀληθινὸς, exque impuris eorum ac falsandi Scripturam cupidis mentibus ortas hic refutare non fert ratio instituti. (γ) Probo Spiritum Sanctum esse verum Deum ex *Act.* V, 3. 4. 9. Ubi Petrus ad Ananiam: οὐκ ἐψεύσω ἀνθρώποις, ἀλλὰ τῷ Θεῷ. Hic observandum, quod vocabulum ψεύσασθαι cum Accusativo & Dativo construatur. Quod vocabulum Θεὸς absolute sine addito positum verum Deum denotet, vid. prolixe evictum atque probatum a *B. Dn. D. Scherzero Colleg. Anti-Socin. p. m. 37. seqq.*

§. 3. Objicitur (1) & quidem contra vocabulum Deus, quod non solus Deus sit verus Deus: cum autem omnes objectiones Socinianorum vel de improprie dictis h. e. λεγομέ-

νοις

vois vel de opinativis & æſtimio malorum ſic habitis Diis, ut de Magiſtratu, Idolis, & Diabolo, qui omnes improprie Dii dicuntur, agant, illas proponere & refutare ſuperſedebo.

§. 4. Objicitur (2) Quod perſonæ non ſint realiter diſtinctæ: Quæcunque perſonæ non ſunt ab invicem realiter ſeparabiles, illæ non ſunt realiter diſtinctæ. Atqui tres perſonæ Divinitatis &c. Ergo. Major eſt manifeſta, dicunt Sociniani, ſignum enim realis diſtinctionis infallibile eſt realis ſeparabilitas. Deinde Major (quæ eſt: Omne realiter diſtinctum eſt realiter ſeparabile, & quicquid non eſt realiter ſeparabile, non eſt realiter diſtinctum) tam diu manet firma, donec detur inſtantia. Minorem probant: Separatio realis eſt duplex: *poſitiva* & *privativa*. *Poſitiva* eſt, quando nemine cogitante aliquid ab altero ſeparatur, ut poſt factam ſeparationem remaneat. e.g. ſeparato clavo a pariete, paries & clavus manent. *Privativa* eſt, quando quid ſeparatur, ut poſt factam ſeparationem neceſſario intereat, v. gr. quando albedo ſeparatur a pariete, albedo perit. Jam ſi tres perſonæ ab invicem eſſent ſeparabiles, aut eſſent poſitive aut privative ſeparabiles, ſed neutrum inquiunt, admittetis. Non poſitive, nam ad poſitivam ſeparationem requiritur, ut quod ſeparatur, & id, a quo ſeparatur, habeant realiter diſtinctas eſſentias, niſi enim alia eſſet eſſentia clavi & parietis, nec poſitive poſſent ſeparari. Non privative. Alias perſona Divinitatis, ſicque verus ac immortalis Deus poſſet perire, quod apertiſſime falſum eſt. Reſpondetur, negando Majorem. Valet quidem conſequentia a reali ſeparabilitate ad realem diſtinctionem, ſed non contra. Poſſum inſtantiam dare, e. gr. quantitas alicujus corporis naturalis & ipſum corpus naturale realiter differunt, nam corpus ipſum eſt ſubſtantia, quantitas vero eſt accidens, corpus non eſt in alio tanquam in ſubjecto, ſed quantitas eſt

in alio. Imo fieri poteſt, ut mutata quantitate, non mutetur ſubſtantia,& contra: Quantitas autem non eſt realiter ſeparabilis a corpore naturali: aut enim poſt factam quantitatis ſeparationem corpus naturale adhuc haberet partes, aut minime: Si hoc, eſſet & non eſſet corpus naturale: Si illud,aut non haberet partes extra partes, ſicque omnes partes convenirent in unico indiviſibili, quod abſurdiſſimum ac falſiſſimum: aut haberet partes extra partes, & ſic eſſet adhuc quantum poſt factam totalem quantitatis ſeparationem,quo nihil abſurdius. Quando dicebatur, ſeparabilitatem eſſe indicio realis diſtinctionis, hoc veriſſimum eſt, ſed inde ſequitur, quod, quæcunque ſunt realiter ſeparabilia, etiam ſint realiter diſtincta: non autem, quod,quæcunque ſunt realiter diſtincta, ea etiam realiter ſint ſeparabilia.

§. 5. Circa Deitatem Chriſti deſtruendam Sociniani potiſſimum in eo ſunt occupati, qua ſcil. ratione loca Chriſti Deitatem probantia in falſum detorqueant ſenſum. Sic circa noſtrum dictum, quo probavimus Deitatem, excipit *Oſtorodus*, de Deo Patre hic eſſe ſermonem,& poſt vocem σάρκα debere eſſe punctum, ſequentia autem verba eſſe exclamationem votivam, quaſi puncto, poſt σάρκα poſito, hæc nova periodus debeat incipere, & ſic ſonare: Benedictus ſit Deus ſuper omnia in ſecula. Sed quis non videt miſerrimam ac plane violentam textus depravationem ac detorſionem? quod de Chriſto ſermo ſit, teſtantur verba: ἐκ πατέρων, Deus non eſt ex Judæis vel Patribus, ſed Chriſtus, quod indigitatur per articulum præpoſitivum ὁ, adhibitum pro poſtpoſitivo ὅς, qui ſæpe vim relativi habet, ut videre eſt *Matth.* VI, 9. Deinde poſt vocem σάρκα neque eſſe neque debere eſſe punctum, teſtantur & correctiſſima pariter ac antiquiſſima exemplaria, exigitque ſcopus Pauli, (quippe qui Judæorum dignitatem & inſignem eorundem præ gentibus præroga-

rogativam vel maxime inde voluit adſtruere, quod ex iis ſit Chriſtus, non merus homo, ſed ipſe Deus altisſimus) ipſaque connexio antecedentium & conſequentium non admittit tam ex abrupto factam & tam ſubitam exclamationem votivam in fine poni ſolitam. Alia ingreditur via *Catechismus Racovienſis*, vultque, Chriſtum dici Deum ſuper omnia benedictum in ſecula, quia ſit exaltatus a DEO Patre ſuper omnia, & nomen ſuper omne nomen acceperit: Verum hæc quoque expoſitio manifeſtisſimam vim textui infert: Non enim tantummodo dicitur, Chriſtum eſſe ſuper omnia benedictum in ſecula, ſed quoque dicitur, ipſum eſſe Deum ſuper omnia benedictum in ſecula: Quod ſi illa ſaltem verba haberentur in textu, *qui eſt ſuper omnia benedictus in ſecula*, haberet forſan haud exiguam ſpeciem veritatis hæc exceptio: Aſt quia expreſſe de Chriſto aſſeritur, quod ſit *DEVS ſuper omnia benedictus in ſecula*, nihil ea habet in receſſu. Inde eſt, quod auctor Catechismi iſtius addit, voculam Θεὸς forſan in margine fuiſſe poſitam ac poſtmodum textui inſertam: Quo ipſo paulo modeſtiorem ſe gerit multis Socinianis, qui omnia verba hujus textus, ad quæ reſpondere neſciunt, ad textum allegatum pertinere negant, contra manifeſtisſima antiquisſimorum Codicum teſtimonia. Imo quid tandem relinquetur certum in Scripturis Sacris Canonicis, ſi hic excipiendi modus ſemel adverſariis fuerit permiſſus?

§. 6. Unum alterumve argumentum, quod contra Divinitatem Chriſti Sociniani adferunt, adducemus: Et *primo* quidem hunc ipſum jam allatum locum multaque alia parallela urgent, ubi Chriſtus expreſſe dicatur *eſſe ex Patribus*: Ita enim argumentantur: Quicunque eſt ex Patribus, is non eſt verus Deus. Chriſtus &c. Erg. Reſpondetur, negando propoſitionem Majorem: Expreſſis namque verbis Scriptura Sacra Canonica utrumque teſtatur, & quod Chriſtus ſit ex Patri-

bus, & quod Christus sit verus *DEVS.* Hinc additur quoque, quanam ratione & secundum quam naturam Christus sit ex Patribus, dum dicitur: *Christus est ex Patribus secundum carnem*, hoc est, secundum naturam humanam: hoc autem non obstante, utut secundum id, secundum quod est ex Patribus, non sit verus Deus: manet tamen secundum id, secundum quod est de substantia Patris ab æterno genitus, hoc est, secundum naturam divinam, verus DEVS super omnia benedictus in secula.

§. 7. *Deinde* urgent *Sociniani* contra Christi Divinitatem locum *Joh.* XVII, 3. Αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε (scilicet τὸν πατέρα) τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν. Unde sic colligunt: Si solus Pater est verus Deus, sequitur, quod Filius ejus Jesus Christus non sit verus Deus. Prius est verum. Ergo & posterius. Prius dicunt expressis verbis haberi in textu. Consequentiam inde manifestissimam dicunt, quod Filius Dei Patris non sit ipse Deus Pater. Respondetur negando prius. Non enim dicitur, solum Patrem esse verum Deum, solumque Patrem cognoscendum esse verum Deum; Sed Patrem esse illum solum verum Deum & Patrem cognoscendum esse illum solum verum Deum, qui solus verus Deus est quoque ipse Filius, qui & ipse ut solus verus Deus est cognoscendus, *& ex 1. Joh. V, 20.* multisque aliis locis ita cognoscitur. Nam ὁ ἀληθινὸς θεὸς est ὁ μόνος ἀληθινὸς θεός. Et qua quæso veritate Christus diceretur ὁ ἀληθινὸς θεὸς, nisi esset verus Deus? Sane inter merum hominem, & verum Deum non posset locum habere adæquata analogia, ob quam verus DEUS dici posset: nuda vero analogia inadæquata nullatenus ad hujus denominationis veritatem sufficeret aut sufficere posset.

§. 8. *Tertio* adducunt textum *Marc. XIII, 32.* Περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης ἢ τῆς ὥρας οὐδεὶς οἶδεν, οὐδὲ οἱ ἄγγελοι οἱ ἐν οὐρα-

ἀξανῶ, ἀδὲ ὁ υἱὸς, εἰ μὴ ὁ πατήρ. Ex quo & *Arriani* olim Deitatem Filii acerrime impugnarunt: Argumentum huc redit: Quicunque non est omniscius, sed laborat ignorantia, is non est verus Deus. Atqui Christus &c. Ergo. Verum respondetur negando propositionem minorem. Mens enim verborum Christi non est, quod Filius Dei absolute & simpliciter ignoret diem & horam extremi judicii, sed quod eam ignoret secundum humanam naturam in statu exinanitionis, in quo constitutus erat, cum hæc ad discipulos suos loqueretur: Nam vi & facultate intellectus sui humani in se considerati diem & horam nosse non poterat Christus, & licet ipsi secundum humanam naturam per unionem personalem omniscientia divina communicata fuerit, tamen plenario ejus usu in statu exinanitionis, cum formam servi & cum ea omnes infirmitates nostras excepto peccato assumsisset, sponte se abdicavit, ita ut in illo statu & secundum illam, quam assumsit Filius, naturam, quædam revera ignoraverit. Contra hanc explicationem *Sociniani* excipiunt, quod Christus in textu Filius appelletur, atque Patri expressis verbis opponatur, ex quo sponte sua fluat, secundum divinam naturam Christum ignorare diem extremi judicii, adeoque non esse verum Deum, eo quod secundum illam naturam laboret ignorantia, secundum quam ut Filius habeat Patrem, h. e. secundum divinam naturam. Sed hæc exceptio a nomine Filii & oppositione Patris ac Filii petita, non satis firma est, quia Filius est nomen concretum personæ, integram denotans personam, ex quo nequit certo sciri, secundum quam naturam Christus diem extremi judicii ignoret: hoc igitur aliunde petendum venit. Res facili exemplo potest percipi: rectissime dico: Filius est passus, non Pater: hic eadem ratione adhibetur nomen Filii in oppositione ad Patrem, nec tamen inde sequitur: Filium esse

passum secundum divinam naturam, quamvis non nisi secundum divinam naturam Patrem habeat.

§. 9. Contra Deitatem Spiritus Sancti adferunt (α) locum *Joh.* VII, 39. ὅπω ἦν πνεῦμα ἅγιον. Inde enim argumentantur: quia nondum fuit, non est æternus ac verus DEVS. Respondetur: Sensus hic est: Nondum facta fuerat illa insignis & copiosa effusio miraculosorum donorum Spiritus Sancti sub Novo Testamento, qua de *Joel* illustre vaticinium *cap. III, 2. seqq.* (vers. *Luth. cap. II, 28. 29.*) ediderat, ut constat ex concione Petri habita in festo Pentecostes *Actor. II, 16. seqq.* (β) *Joh. XVI, 13.* τὸ πνεῦμα ὃ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ. Unde sic inferunt: Spiritus Sanctus nequit esse persona, quæ sit verus DEVS, quia verus DEVS a se ipso loquitur. Respondetur, negando consequentiam: hoc enim sensu Spiritus Sanctus non loquitur, nisi quæ audivit ex Deo Patre & Christo, quatenus nihil revelat, nisi quod intellectu, quem per æternam spirationem habet a Deo Patre ejusque Filio, cognovit: ut enim essentiam eandem numero, ita intellectum ab iis habet per æternam spirationem. (γ) *1. Cor. II, 10.* Τὸ θεοῦ πνεῦμα πάντα ἐρευνᾷ, καὶ τὰ βάθη τοῦ θεοῦ. Ita ratiocinantur: Quicunque non est omniscius, non est verus Deus. Spiritus Sanctus non est omniscius. Ergo. Minor probatur: quia, si Spiritus Sanctus omnia sciret, non scrutaretur. Respondetur: Scrutari sumitur improprie, & dicitur de Spiritu Sancto ἀνθρωποπαθῶς sive humano more loquendo, id quod satis patet ex *vers. n.* ubi comparatio instituitur inter Spiritum hominis & Spiritum Dei, & dicitur: Sicuti Spiritus hominis novit, quæ sunt in homine, ita Spiritus Sanctus, quæ sunt Dei.

§. 10. De cætero, quod supra occasione controversiæ IV. diximus, ipsa praxis Socinianorum pestilentissimo exemplo confirmat: quippe totum SS. Trinitatis mysterium decempeda rationis suæ perversæ metiuntur. Inde est, quod ma-

manifeſtam veriſimamque contradictionem implicare ſomnient, Deum ratione eſſentiæ eſſe unum, non trinum; ratione perſonarum trinum, non unum, cum tamen inter eſſentiam & perſonam nulla relativa oppoſitio, adeoque nec realis diſtinctio detur: quaſi vero ipſa veritas potuiſſet ſibimetipſi manifeſto contradicere, hoc eſt, nobis revelare ea, quæ veriſimam manifeſtiſimamque implicant contradictionem. Certe hæc talia ſunt abſolute impoſſibilia, & quemadmodum fide divina credi nequeunt, ita nec potuerunt aut poſſunt a Deo revelari. Item, quod productio æterna Filii & Spiritus Sancti aut ſit productio ex aliquo, aut ex nihilo; Sique illud, Filius & Spiritus Sanctus ſint materiales, cum Deus ſit immaterialis: ſi hoc, ſint creaturæ, eo quod productio ex nihilo, ſit creatio. Scilicet ita ratio perverſa de myſteriis judicat: aſt ratio ſub obſequium fidei captivata agnoſcit myſterium ac adorat, utpote cui ſufficit revelatio productionis de una eademque numero producentis eſſentia.

§. 11. Habent quoque pro inſolubili ſequens ratiocinium: Aut Filius Dei & Spiritus Sanctus habent quisque propriam eſſentiam divinam, aut non habent: Si hoc, non ſunt verus Deus, quia verus Deus eſt verum ens, ac quodvis verum ens habet propriam eſſentiam: Si illud, Ergo tres erunt eſſentiæ divinæ, quod iterum falſiſimum eſt. Reſpondetur: Quia verus Deus eſt verum ens, & verum ens habet propriam eſſentiam, Filius Dei & Spiritus Sanctus omnino quatenus ſunt verus Deus, habent propriam eſſentiam, quo tamen non obſtante, manet eſſentia divina omnibus tribus divinitatis perſonis communis: Quemadmodum enim ſunt unum numero ens, unus ſcilicet in eſſentia Deus: ita habent unam numero eſſentiam, nempe divinam, ut adeo tribus realiter inter ſe diſtinctis ſubſiſtentiis: Patris, Filii & Spiritus San-

Sancti essentia divina sit communis, ipsisque simul personis, quatenus sunt unum numero ens, propria.

§. 12. Rursus urgent, verum Deum esse a se ipso, Filium vero & Spiritum Sanctum ex contradicentium hypothesi non esse a se ipsis: Sane sunt Filius a Patre & Spiritus Sanctus a Patre & Filio, tamen non ab alio ente aut aliis entibus. Sicut enim persona prima Divinitatis non est ab alia persona, ita quælibet persona Divinitatis non est ab alio absolute, hoc est, ab alio ente. Possunt namque multa supposita esse unum absolute, hoc est, unum ens.

§. 13. Nec vacat, nec lubet recensendis Adversariorum φλυαρίαις immorari, quia pleræque omnes ita comparatæ sunt, ut instantia ab eodem felicissime repelli refellique possint. Rectissimus namque modus respondendi manet, quoties id ipsum, quod in quæstione est, solide probatum damus, simulque demonstramus, una plures instantias dari non posse: non enim audiendi sunt Adversarii, qui fallaciam petitionis ejus, quod in principio quærebatur, objiciunt, quia supra dubitandi licentiam positum est, respondentem, quamdiu intra officii sui limites se continet, nunquam posse id, quod in principio, petere.

* * *

Disp. III.

DISPUTATIO III.

CONTROVERSIA X.

Datur præsentia Dei gratiosa, quam approximationem vocant, ejusque fundamentum non est immensitas, sed liberrima Dei voluntas, secundum quam non per nudam adessentiam, sed per operationem cum præsentia conjunctam, vel per præsentiam modificatam præsens est.

§. 1.

Non hic disputabimus contra *Socinianos*, omnipræsentiam Dei in terris secundum substantiam suam prorsus negantes, inque primis ea objicientes Scripturæ loca, in quibus Dei sedes esse in cœlis, vel ipse habitare in cœlo dicitur, quæ tamen verba non inclusive, sed exochice intelligenda sunt. Nam Deo cœlum ut habitaculum adscribitur, ut demonstretur loci dignitas atque supereminentia, qualem locum hic in terris, Deo adeo dignum non invenire licet; sed inde non sequitur: si Deus est in cœlis, non est in terra. Imo cœli cœlorum non capiunt Deum 1. *Reg.* IIX, 27. Nec

quicquam præsidii inveniunt in 1. *Tim.* VI, 16. ubi Deus φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον dicitur. Vnde sic concludunt: Quicunque habitat in luce inaccessa, ille non est omnipræsens. Sed Deus &c. Ergo. Sed negatur Major. Tunc quidem vera esset, si Apostolus dixisset Deum *saltem* in luce inaccessa habitare, nunc autem non excluditur habitatio in terris. Deinde neque Apostoli scopus est hic de Dei habitaculo, sed de visione & comprehensione Dei loqui, uti in seqq. seipsum explicat, sed hoc vult Apostolus: Deus habitat in luce inaccessa, ut nemo oculis suis corporeis hanc lucem accedere possit, sed visione abstractiva, quam vocant, quam diu in hac continetur mortalitate, contentus esse teneatur. Hæc obiter.

§. 2. Jam autem bene observandum, quod quæstio nobis non sit de fundamento præsentiæ *radicaliter* spectato: Nam sic conceditur, præsentiam eandem esse cum immensitate; sed jam quæratur: an fundamentum præsentiæ *relative* spectatæ, quatenus relationem dicit ad creaturas, sit immensitas divina? quod negatur: alias DEVS etiam præsens fuisset omnibus rebus creatis, antequam creatæ sunt, quod est imposibile. Vnde B. D. *Danhawerus Hodosoph. p. m. 213.* sic infit: *Dei omnipræsentia non est ipsa immensitas, a qua differt, ut relatum ab absoluto, ἔγχεγνον ab ἀχεόνω, communicabile ab incommunicabili. Vnde extra cœlum Deus est, sed non præsens.* In nota addit: *Dic ubi tunc esset, cum præter eum nihil esset, tunc ubi nunc, in se quoniam sibi sufficit ipse.* Pergit in textu: *Ante mundum conditum fuit, non tamen proprie præsens.* Alias etiam hic distingvi solet inter immensitatem & ubiquitatem, immensus fuit ab æterno, ubique autem in tempore, postquam creatæ sunt creaturæ.

§. 3. Alii præsentiam per nudam adessentiam descripserunt absque operatione, quod vero adhuc multo minus concedi potest, cum Deus purus putus sit actus, & absque opera-

operatione ne quidem fingi posſit. Nullibi etiam in Scriptura Sacra præſentia absque operatione intelligitur. videantur dicta *Jerem.* XXIII,24. *Act.* XVII,27.

§. 4. Probatur illa approximatio (α) ex *Epheſ.* V, 32. τὸ μυϛήριον τοῦτο μέγα ἐϛί. Quamcunque præſentiam Spiritus Sanctus ipſe cum maxima emphaſi *myſterium* illud *magnum* vocat, illa ſimplici fide omnino credenda eſt. Atqui hanc præſentiam, qua de disquiritur in præſenti &c. Ergo. Major patet: nam quod claris verbis in ſede hujus doctrinæ aſſeritur, ab eo absque ſumma urgente necesſitate non eſt recedendum, etiamſi finitus intellectus noſter non posſit percipere, quomodo DEUS immenſus non diſtans a Sanctis, ſpeciali quadam approximatione eſſentiæ ad ipſos veniat, & in illis habitare incipiat, ſufficit æque, ac reliqua fidei myſteria in propria ſede quoad literam proponi ad credendum. Probatur (β) ex *Ioh.* XIV, 23. ἐάν τις ἀγαπᾷ με, τὸν λόγον μου τηρήσει, καὶ ὁ πατήρ μου ἀγαπήσει αὐτὸν, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν. Vnde ita colligitur: Quicunque, cum jam ante hominibus ſanctis ac aliis creaturis adſit generali præſentia, imo etiam jam ante ſua eſſentia & donis in iis habitet, eo non obſtante ſe ad illos venturum promittit, & manſionem apud eos facturum, ejus præſentia ſpecialis ab univerſali non diſtingvitur tantum donorum communicatione. Atqui DEVS cum jam ante, &c. Ergo.

§. 5. Porro quæ de fundamento dicta ſunt, probantur ſequenti argumento: Si præſentia illa Dei modificata operationem includit, ſequitur, quod ex abſoluta immenſitate derivari nequeat. Sed prius eſt. Ergo. Major probatur: Quia immenſitas non eſt attributum operativum, ſed negativum: nam formaliter dicit negationem menſuræ, & non dicit quid in Deo ſit, ſed quid non ſit. Minor probatur: Nu-

da adeſſentia apud omnes creaturas eſt eadem: Præſentia Dei non eſt eadem apud omnes creaturas. Ergo præſentia Dei non eſt nuda adeſſentia. Major facile probari poteſt ex infinitate Dei. Minor probatur: Nam certe alia eſt præſentia gratioſa apud fideles, alia apud infideles, vel uti B. *Danhawerus l. c. p. 214.* loquitur: *Sine dubio alia eſt præſentia apud damnatos, alia glorioſa apud triumphantes.*

§. 6. Excipi contra hanc præſentiam poterat:(α) Deum non poſſe fieri præſentiorem, eo quod ſit ubivis intime præſens. *Act.* XVII, 28. Qui enim ubivis præſens eſt totus in toto mundo, totus quoque in quolibet minimo corpuſculo, neque expanſus neque contractus, adeo ut nec ullum minimum ſpatium excogitari queat, ubi non eſſet præſens, qua ratione poſſet adhuc præſentior fieri per certam aliquam approximationem? Approximatio enim dicit terminum a quo & terminum ad quem, ſicque daretur ſpatium vel locus, ubi Deus ante approximationem non fuerit, quod contra ubiquitatem Dei ac infinitatem diceretur. Reſpondetur: Diſtinctione modorum præſentiæ ad Scripturæ Sacræ ductum adhibita, omnis repugnantia apparens inter approximationem & immenſitatem DEI facile expirat: Deus enim immenſa ſua ſubſtantia jam ante quidem adeſt ſanctis & creaturis omnibus præſentia generali, hoc autem non obſtante, approximatur ſua ſubſtantia in ipſis ſanctis quoad præſentiam ſpecialem & gratioſam. (β) Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, nam ſi Deus jam totus ubivis ita intime adeſt, ut non poſſit intimius adeſſe, quod certe requirit immenſitas, non poterit quoque approximari per ſpecialem & gratioſam præſentiam. Sed ad hoc reſpondere, eſt allatas probationes repetere. Si namque his maxime emphaticis phraſibus tantum operationem ſpecialem Dei ſignificari concedamus, adducta loca non niſi per κατάχρησιν explicanda fuiſſent. (γ) Literam textus hic non eſſe ur-

urgendam, cum de Deo ſæpisſime in Scriptura dicatur, illum ad hunc vel illum locum accedere, diſcedere, deſcendere, adſcendere, quod tantum ἀνθρωποπαθῶς & per συγκατάβασιν quandam intelligendum veniat. e. gr. *Geneſ.* XI, ſ. 7. dicitur: וַיֵּרֶד יְהוָה וְנֵרְדָה׃ *deſcendit autem Jehova; verſ. 7.*: הָבָה נֵרְדָה׃ *age deſcendamus.* Et in multis aliis locis, ubi de Deo dicatur, eum appropinquaſſe, quod tamen ab Interpretibus ἀνθρωποπαθῶς explicetur. Reſpondetur: In dictis jam objectis non licet inhærere literæ, cum ſatis urgens neceſſitas apertisſime contrarium exigat, quæ hic exulat. Dicta enim Scripturæ omnino ſunt quoad literam intelligenda, & inde non ſtatim ſequitur, Deum ante approximationem hanc abfuiſſe, quia negata certa qualitate vel modo præſentiæ, non ſtatim negatur omnis adeſſentia, nedum ſubſtantiarum præſupponitur diſtantia. (ß) Non poſſe oſtendi, in quonam tandem iſta approximatio conſiſtat. Reſpondetur: Ab ignorantia modi ad ignorantiam rei non valet conſequentia. Bene *Chryſoſtomus Homil. I. Deum eſſe ubique, totumque eſſe in quavis parte orbis terrarum novi, ſed quemadmodum ſit, neſcio.* Nec male *Auguſtinus Epiſt. LVII. Fatendum eſt, ubique eſſe Deum per divinitatis præſentiam, ſed non ubique per habitationis gratiam. Propter hanc enim habitationem, ubi procul dubio gratia dilectionis ejus agnoſcitur, non dicimus: Pater noſter, qui es ubique, cum & hoc verum ſit, ſed Pater noſter, qui es in cœlis: ut templum ejus potius in oratione commemoremus, quod & nos ipſi eſſe debemus: & in quantum ſumus, in tantum ad ejus ſocietatem & adoptionis familiam pertinemus.*

§. 7. Cadit igitur Axioma *Polani*, quo in *Syntagmate Theologiæ lib.* II. *cap.* XII. *p.* 463. tantopere ſibi placet, quod verbis proponit ſequentibus: *Cauſa ubiquepræſentiæ & ubiquitatis ſola atque unica eſt eſſentiæ immenſitas & infinitas. Quicquid igitur ubique eſt, ideo ubique eſt; quia eſt immen-*

ſæ & infinitæ eſſentiæ: Quippe ex ſupra dictis facile patet, committi fallaciam non cauſæ ut cauſæ: nam omnipræſentia relationem dicit ad creaturas, ut quibus enter, præſenter atque potenter, quæ ſunt Scholaſticorum voces, Deus adeſt: Immenſitas vero eſt attributum omnipræſentiæ: dicitur enim præſentia immenſa ſive ad nullum *quod* reſtricta. Ergo non eſt cauſa ſive principium vel fundamentum omnipræſentiæ.

§. 8. Nec obſtat locus Exod. XXXIII, 3.: לֹא אֶעֱלֶה בְקִרְבֶּךָ *Non adſcendam in medium tui.* Quaſi hæc verba non poſſint intelligi de negatione indiſtantiæ, quia adfuerit populo Deus; adeoque de negatione operationis intelligenda veniant, quod ſcilicet quidem adfuerit, ſed non operatus ſit. Reſpondetur (α): A negatione operationis gratioſæ ad negationem omnis operationis non valet conſequentia. (β) De præſentia gratioſa hic agitur impiis denegata, non vero de præſentia generali operoſa, prout vulgo dicitur, & negotioſa in conſervatione & gubernatione.

§. 9. Argumenta eorum, qui probare ſatagunt, non ipſum Deum, ſed tantum dona Dei in credentibus habitare, quosque Formula Concordiæ *Art.* III. p. 587. refutat, adducere nec opus nec otium eſt, unde conflictui ea reſervabimus.

CONTROVERSIA XI.

Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus creavit hoc univerſum, cœlum & terram, omniaque quæ in iis ſunt: hæ tres autem Perſonæ non ſunt cauſæ ſociæ, neque Filius in ſenſu

Aria-

Ariano ac Sociniano Patris instrumentum dici potest.

§. 1.

Thesis probatur ex *Esa. XLIV, 24.* אָנֹכִי יְהוָה עֹשֶׂה כֹּל נֹטֶה שָׁמַיִם לְבַדִּי רֹקַע הָאָרֶץ: Quicunque facit omnia atque extendit cœlos לבד *solus*, expanditque terram sua propria potentia, ille neque per causas socias neque per instrumentum creavit. Atqui Deus, qui est Pater Filius & Spiritus Sanctus juxta *Psalm. XXXIII, 6.* &c. Ergo. Major probatur: quia expresse Deus dicit לבדי *ego solus* facio omnia, ergo absque causa socia, deinde additur מאתי *per meam potentiam*, vel mea potentia, ergo absque instrumento. Minor est Spiritus Sancti.

§. 2, Objicitur: ipsas personas fuisse & dici posse causas socias, quia omnes tres dicuntur creasse. Sed respondetur, negando consequentiam, quia quælibet causa efficiens socia peculiarem debet habere essentiam, quod in divinis, ubi tantum una est essentia, non licet asserere. Peculiarem singulæ causæ sociæ habent rationem causandi, peculiarem causalitatem: Ast in Divinis una datur eademque numero potentia creatrix, una eademque numero creatio.

§. 3. Ariani & Sociniani objiciunt illa loca, ubi dicitur per Christum factum esse mundum ut *Ebr.* I, 2. *Joan.* I, 10. quasi Pater ut verus Deus opus creationis indignum reputarit sua excellentia, & ideo Filio illud commiserit, tanquam minori & inferiori, Filiusque quædam in opere creationis Spiritui Sancto tanquam ministro perficienda, mandaverit. Sed contra hoc assertum pugnat βεβαιότερος loco propositum dictum. Deinde ubivis urgent particulam διὰ, & inde probare conantur, Deum usurpasse Christum tanquam instrumentum in creatione, sicut faber utitur securi. Sed hæc blasphe-

blasphemia multis locis Scripturæ, ubi hæc particula etiam causam efficientem designat, confutatur. *vid. B. Carpzov. Isagog. in Libb. Symbb. pag. 62. Hæc enim particula non naturam dividit*, uti loquitur *Nazianzenus*, *sed unius & inconfusæ naturæ proprietatem exprimit.*

§. 4. Nihil efficiunt nominati Adversarii, quando sibi gratulantur de auctoritate Patrum *Irenæi L. IV. c. 17. 75. Tertulliani adversus Praxeam c. XII.* itemque *Lutheri Enarrat. in Genes. cap. IV.* Filium Patris instrumentum vocantium. Hi namque intellexerunt instrumentum non separatum, ut Arriani & Sociniani, sed conjunctum, præcise respicientes, posita unitate Trinitatis & ὁμοσία pro fundamento, ad ordinem, quem Filius ratione originis ad personam Patris habet; quem respectum non rigor Philosophicus, sed modo indicatus affectus excusat, dum eandem numero potentiam creandi Patri æque ac Filio Spirituique Sancto tribuunt, sicque disertis verbis ignobiliorem, quam ad effectum producendum requiritur, expresse denegant.

CONTROVERSIA XII.

Boni Angeli non ita, ut pii homines, possunt dici electi; mali autem ex libera voluntate sine ullo ad æternam damnationem decreto, absque ulla labendi à Deo in creatione indita necessitate sunt lapsi.

§. 1

Notanter in priori membro adduntur verba: *non ita ut pii homines*: nam quod alias sensu laxiori etiam Angeli di-

dicantur electi', notum est ex *1. Timoth.* V, 21. sed tunc vox ἐκλεκτὸς pro eo, quod est valde eximium, intaminatum, felix ac beatum, accipitur, uti Christus ipse in gradu adhuc sublimiori dicitur עַבְדִּי בְחִירִי *Servus electus, Esa.* XLII, 1. Deinde hic observandum, quod electio & prædestinatio, uti in articulo de prædestinatione, sic & hic, non differant realiter, quod communiter negant Calviniani (vid. mox citandus *Wendelinus*) & pro vocabulo *electionis* vocabulum *prædestinationis*, quod ad electionem & reprobationem extendunt, usurpare malunt, ceu expresse asserunt, Angelos etiam esse prædestinatos, cum ad æternam salutem, tum ad æternam miseriam. Sic enim disertis verbis *Bucanus Loc. VI. Qv. 10.* quærentibus: quænam sit suprema causa, cur Angelorum alii a veritate defecerint, alii in veritate perstiterint? respondet: *Suprema causa est æternum, firmum, & immutabile DEI decretum & beneplacitum, ab ipsius sapientia profectum, qui hos ad gratiæ suæ communionem & perseverantiam elegit & prædestinavit, alios vero pro justo suo beneplacito propter suam gloriam reprobavit.* Et allegat 1. *Tim.* V, 21. *Loc.* vero XXXVI. *Qv.* 6. quærit: *Estne prædestinatio hominum tantum?* Resp. *Est & Angelorum: nam Angelos, qui steterunt in sua integritate, Paulus electos vocat l. c. Quod si eorum substantia in DEI beneplacito fundata fuit, aliorum lapsus arguit, fuisse derelictos, cujus rei causa non potest aliæ adduci, quam reprobatio, quæ in arcano Dei consilio abscondita est.* Adde *Wendelini Theol. Christ. L. I. cap. III. p. m. 145. seqq.* Et *Exercitationes Anti-Gerhardinas, Exercit. VI.*

§. 2. Ex his verbis citatis apparet, *Calvinianos* asserere, Angelos bonos proprie dici posse electos, malos vero reprobatos, & quemadmodum alias de absoluto decreto circa homines, vel quatenus ad homines spectat, loqvuntur; ita & hîc, juxta ipsorum mentem, uti electi ex merâ voluntate

divina & misericordia, quam solam Wendelinus causam prædestinationis facit, æterna salute aliquando donabuntur vel jam donantur; ita reprobi ex solo beneplacito æterna miseria cruciabuntur. Vivant quomodocunque velint, observent omnes divinas leges, sunt reprobati. Ergo ex necessitate propter decretum infallibile atque irrevocabile reprobationis damnantur. Idem de Angelorum electione & reprobatione ipsos sentire, quilibet perspicit.

§. 3. Cum Calvinianis, quod ad electionem, etiam faciunt *Pontificii*, imprimis *Bellarminus Lib. II. de Grat. & lib. arbitr. cap. XVII. §. 2.* itidem putans, Angelos esse in Christo prædestinatos, ex 1. *Tim.* V, 21. ut & *Sociniani*, Angelos bonos uti homines pariter electos statuentes. Vidd. *Schlichting* & alii in 1. *Tim.* V, 21.

§. 4. Βεβαίωσις θέσεως sumitur ex *Ephes.* I, 5. προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς αὐτόν. Quoscunque Deus prædestinavit & in filios per Christum adoptavit, illos quoque elegit. Atqui tantum homines &c. Ergo. Major probatur, quia prædestinatio & electio non differunt usu Scripturæ. Minorem ut κεινόμενον probo ex *Ebr.* II, 16. ὁ γὰρ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται. Quoscunque autem non assumsit, illos nec curavit: quos non curavit, illos neque elegit: electio enim per Christum facta est, juxta *Eph. c. l.* Adde & hoc: Qui in massa perditionis nunquam jacuere, nec unquam jacebunt, illi non sunt electi. Sed Angeli boni &c. Ergo. Major probatur: quia electio fit κατ' ἔγνωσιν *Rom.* IIX, 29. Deus autem non prævidit, eos unquam esse lapsuros, quia servarunt principatum sanctitatis concreatæ *Jud. vers. 6.* Minor probatur: quia nunquam peccarunt, nunquam peccabunt, quia semper manent filii Dei *Luc. XX, 34. seq.*

§. 5. Alterum membrum theseos probo ex *Joh.* IIX, 44. ὁ διά-

67.

ὁ διάβολος ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐκ ἕστηκεν, & ex Epist. *Jud. vers.* 6. Ἄγγελοι οἱ μὴ τηρήσαντες τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ἀλλὰ ἀπολιπόντες τὸ ἴδιον οἰκητήριον. Quicunque in veritate creati sunt, & ex propria voluntate non servarunt suam originem, sed malitiose reliquerunt suum domicilium, illi non ex æterno Dei decreto, aut ulla concreata labendi necessitate sunt lapsi. Sed Angeli mali &c. Ergo. Major probatur, imo jam tum ex terminis patet: Quicquid Deus creavit, bonum erat, liberaque voluntate præditos cum bonos, tum malos Angelos creavit; Sed hi abutebantur libero arbitrio, quod movebatur ab objecto, dum contemplatione nimiaque admiratione Angelicæ dignitatis & excellentiæ decepti, indignum rati sunt, si ullius porro parerent imperio. Minor est Spiritus S.

§. 6. Objicitur contra prius præter 1. *Tim.* V, 21. de quo statim ab initio hujus controversiæ monui, etiam a Calvinianis locus ex *Ephes.* I, 10. Ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ, τά τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς ἐν αὐτῷ. Vbi per verba τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς intelligunt Angelos. Sed hoc est falsissimum, nec locus huc quadrat: intelliguntur enim fideles homines ante Christi adventum mortui, ut *Beza* in annot. in cap. I. Ephes. v. 10. & *Piscator* in Ephes. I. p. 1125. & Schol. 10. p. 1128. & obs. 7. p. 1120. notant: quæ explicatio potest multis argumentis probari. Unicum hac vice sufficiat: Si per τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς hic intelligerentur sancti Angeli, sequeretur, eos sic iræ divinæ fuisse obnoxios, ut illos oportuerit per sanguinem Christi reconciliari. Sed falsum est posterius. Ergo. Connexio Majoris probatur ex *Col.* I, 19. Verba citati versiculi hæc sunt: Ὅτι ἐν αὐτῷ εὐδόκησε πᾶν τὸ πλήρωμα κατοικῆσαι.

§. 7. Contra post. objicitur absolutum decretum: nam *Bucanus c. l.* expresse dicit, *derelictionis Angelorum causam non posse adduci aliam, quam reprobationem.* Sed hoc probandum ex Scriptura Sacra, cui expresse contradicitur *Gen. I, 31. Psal. V, 5.* conf. *Sir. XV, ult.*

CONTROVERSIA XIII.

Imago Dei constitit primario in Protoplastis quoad intellectum in sapientia, quoad voluntatem in iustitia, quoad appetitum in sanctitate concreata; secundario autem in dominio in res creatas: In nobis vero antequam ad imaginem pristinam regeneramur, vestigia quidem adsunt vel rudera pristinæ imaginis Dei, quæ consistunt in essentialibus animæ, nempe in esse spirituali, facultatibusque intelligendi ac volendi, post lapsum vero anima tota peccato contaminata & per peccatum a Deo aversa est, imo totus homo, qui post lapsum Deo dissimilis est, propter cœcitatem in intellectu, iniustitiam in voluntate, rebellionem atque concupiscentiam pravam in corde sive appetitu.

§. 1. Im-

69.

§. 1.

Imprimis hæc theſis nobis intercedit cum *Sociniani*s, qui (α) Imaginem Dei primario in ſapientia, juſtitia atque ſanctitate conſtitiſſe negant, prætendentes primario in dominio in creaturas, ſecundario in uſu rationis ſitam fuiſſe, ſufficere autem, ſi Adamo ſimplicitas atque innocentia in ſtatu integritatis adſcribatur. Vnde etiam (β) negant, Protoplaſtos ad Imaginem Dei creatos fuiſſe, quia Evæ nullum dominium concedunt: quod autem hæc falſa ſit hypotheſis, mox videbimus. Vt manifeſtet *Oſtorodus* ſuam ſententiam, ſic ſcribit in *Inſtit. Germ. cap.* XXXIII. *pag.* 267. Weiter halten wirs dafür/daß die Gleichnüß und das Bild/nach welchem der Menſch geſchaffen/ erſtlich und zwar fürnehmlich die Herrſchafft ſey/ welche Gott dem Menſchen über die andern Creaturen gegeben hat/ wie leichtlich zu ſehen *Geneſ.* 1, 26. darnach die Vernunfft/ denn ohne derſelben Gebrauch keiner über die geſchaffenen Dinge wird herrſchen können. Cæteræ ſententiæ, quibus ſapientiam, juſtitiam ac ſanctitatem protoplaſtis denegant, videantur in *Colleg. Anti-Socin. B. D. Scherzeri p.m. 274. ſeqq.* (γ) Negant quoque Sociniani, quod propter amiſſionem Imaginis divinæ in primo homine, etiam nos illam amiſerimus, & quod anima noſtra jam tota peccato contaminata & à Deo averſa ſit. Sic loquitur *Smalc. c. Franz. Diſp. II. fol. 52. Durat adhuc hodie Imago Dei.* Quod autem non intelligat Imaginem in ſenſu generaliori minusque proprio conſideratam, quam & nos adhuc durare aſſerimus, ex ſcriptis patet, in quibus expreſſe negant, nos ſapientiam, juſtitiam & ſanctitatem, quam nec Adamum habuiſſe aſſerunt, in Adamo amiſiſſe. (δ) Denique homines primos in ſtatu integritatis immortales fuiſſe, ſibi perſvadere ob varias ſed frivolas rationes nolunt. Vnde *Socinus L. de ſtat. prim. hom. contra Puccium fol. 57. Aſſero, primum hominem, antequam laberetur, natura immortalem non fuiſſe, ſed naturaliter & citra impendens aliquod periculum, morti jam tum fuiſſe ſubjectum.*

§. 2. Thesis probatur quoad priora ex duobus locis *Col.* III, 10. ubi amissa Imago Dei in nobis restaurari dicitur εἰς ἐπίγνωσιν, *ad cognitionem Dei*, & ex *Ephes.* IV, 24. ubi *Paulus* expresse testatur, καινὸν ἄνθρωπον novum hominem, ad quem renovamur, esse κτισθέντα κατὰ θεὸν ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας. Vnde sic concludo: Ad quam Imaginem renovatur novus homo, ad illam creati erant Protoplasti, illaque erat amissa. Sed ad Imaginem, quæ consistit in cognitione Dei, justitia & sanctitate vera, non autem in dominio in creaturas, renovatur novus homo. Ergo &c. Major est manifesta, quia una tantum datur Imago Dei tam amissa quam recuperata: si autem non amissa fuisset, nec recuperari deberet. Minor est Spiritus Sancti.

§. 3. Porro probo, hominem fuisse immortalem, ex *Rom.* V, 12. Δι' ἁμαρτίας ὁ θάνατος εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε. Si per peccatum mors in mundum venit, sequitur ante peccatum hominem fuisse immortalem. Prius est. Ergo. Major est manifesta: negata causa, negatur effectus. Minor est Apostoli.

§. 4. Deinde probamus, Imaginem Dei tantum secundario sitam fuisse in dominio in creaturas, quia (1) Scriptura Sacra nusquam hoc dicit. (2) in historia creationis Imago Dei & dominium in creaturas expresse distingvuntur. (3) in altera vita, ubi penitus restaurabitur Imago Dei in nobis, nullum plane dominium in creaturas dabitur, & sic stricte loquendo dominium in creaturas plane non est Imago Dei.

§. 5. Deniq; probatur, etiam Evam ad Imaginem Dei creatam fuisse ex *Genes.* I, 27. וַיִּבְרָא אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם בְּצַלְמוֹ בְּצֶלֶם אֱלֹהִים בָּרָא אֹתוֹ זָכָר וּנְקֵבָה בָּרָא אֹתָם׃ ubi disertis verbis fœminæ sive uxoris, quæ una cum marito ad Imaginem Dei creata dicitur, fit mentio, & quicquid exti-

excipient de Eva, etiam de Adamo excipi poteſt, quoniam immediate נקבה & זכר conjunguntur. Atque ita Moſes primo indicat, Deum hominem creaſſe ad Imaginem, deinde manifeſtum reddit, quis ille homo fuerit, nempe duo in una carne זכר ונקבה.

§. 6. Poſtremo probo, Imaginem Dei poſt lapſum in generaliori ſignificatu, quam B. D. *Joh. Gerhard. Confeſſ. Cathol. L.* II. *P.* III. *Art.* XX. *c.* II. *p.* 348. nominat minus principalem cum Deo conformitatem, adhuc in homine ſupereſſe, quia adhuc poſt lapſum jam amiſſa juſtitia originali homo dicitur creatus בְּצֶלֶם אֱלֹהִים *Geneſ.* IX,6. Unde neceſſario fluit, adhuc quicquam cum Deo conforme poſt lapſum in homine ſupereſſe, quod Imago Dei dici poſſit. Excipitur quidem, hoc eſſe intelligendum de primo homine, antequam lapſus eſt. Sed Reſpondetur, iſtam contorſionem textus non eſſe admittendam, quoniam in iſto loco agitur de homicidio vel potius de lege homicidii & ejus pœna: *Qui effuderit ſanguinem hominis, per hominem ſanguis ejus effundetur.* Jam redditur ratio, quare ſanguis effundi debeat: כִּי בְצֶלֶם אֱלֹהִים עָשָׂה אֶת־הָאָדָם *quia ad Imaginem Dei fecit hominem.* Si autem hæc ad Imaginem priſtinam reducentur, profecto longius petita erunt, & nexum præcepti divini ac fundamenti ejus labefactabunt. *conf. Iac.* III,9. Scilicet diſtingvunt communiter orthodoxi Theologi inter Imaginem D E I ſpecialiter & propriiſſime acceptam pro conformitate & congruentia cum Deo, qua vitam ſpiritualem & qua dotes illas, quæ duobus locis citatis ex Epiſt. ad *Epheſ.* & *Coloſſ.* exprimantur, & generaliter ac minus proprie ſumptam pro omnibus illis, in quibus aliqua hominis cum Deo eſt conformitas, & ſic intellectus & voluntas hominis ad Imaginem Dei ſpectant. Ita docent *Auguſtinus, Lutherus, Philippus Melanchthon Lib. de Anima tit. de Imagine*

gine Dei. Idem sentit B. *D. Scherzerus*, qui distingvit inter Imaginem DEI ἀκύρως vel laxe spectatam & inter Imaginem Dei κυρίως vel stricte sic dictam *in Colleg. Anti-Socin. p. m. 280.* Non igitur sunt contradictoria: Imaginem Dei totam esse amissam,& aliquid Imaginis divinæ remansisse: diversa namque significatio tollit omnem contradictionem.

§ 7. Objiciunt Sociniani circa primum membrum theseos non tam Scripturæ dicta, quam ex ratione conficta argumenta: Si Protoplasti creati essent in sapientia,scivissent (1)se esse nudos,(2)vim arboris vitæ perspectam habuissent(3)seque mori posse, scivissent. Sed hæc omnia nescierunt. Ergo non creati sunt in sapientia. Respondetur: (1) Bene sciebant, se esse nudos, sed nuditatem non habebant ut ignominiosam, uti nec erat,ergo nec opus habebant,ut erubescerent. *Quemadmodum,si homo non esset lapsus, opus generationis fuisset purissimum & honestissimum opus, sicut nemo veretur jam cum uxore sua loqui, edere, bibere, honesta enim hæc sunt omnia: ita quoque generare honestissimum fuisset.* Ita *Luth. in Genes. cap.* IV. *fol. 69.* Si autem propter opus generationis non erubescere opus habuissent, multo minus, propter nuditatem, quam bene noverant. Distingvunt alias Dd. inter nuditatem ethice & physice spectatam, illa est probrosa, hæc non item. (2) Vim arboris vitæ primos parentes non perspectam habuisse,unde probabitur?Contrarium inde probatur, quia post lapsum amissis ferme omnibus intellectus perfectionibus, illam vim noverant: anne autem post lapsum sapientiores facti? quis hoc dixerit?(3) Suam mortalitatem ante lapsum scire non poterant, nec opus erat, nam non erant mortales, puta in potentia proxima, uti statim probabo: quod autem non est, nec naturaliter esse potest, quamdiu Deus nolit, de eo non datur scientia, uti nec Deus ipse scire potest, se esse mortalem, quia plane immor-

mortalis est 1. *Tim.* VI, 16. quod autem post lapsum futuri essent mortales, pendebat a libera Dei voluntate, eratque divinum decretum: sed ab ignorantia divinorum decretorum ad ignorantiam, quæ imperfectionem moralem intellectus importat, non licet concludere.

§. 8. Circa justitiam & sanctitatem objiciunt *Sociniani:* Si Protoplasti creati sunt in justitia & sanctitate, sequitur peccare illos non potuisse, uti nec Deus propter suam justitiam & sanctitatem peccare potest. Sed prius est. Ergo. Majorem probant: Quia, si homo ad Imaginem Dei, quæ in justitia & sanctitate constiterit, creatus esset, fuisset ita perfectus, ut non potuisset peccare: contrarium autem quilibet ex lapsu ejus videt. Sed respondetur, negando consequentiam Majoris. Non sequitur: Si homo justus & sanctus est creatus: Ergo non potest peccare; sed hoc sequitur: Ergo poterat non peccare. Ad probationem dico: distingvendum esse inter perfectionem (e.g. omnium animæ facultatum in primo homine) finitam, & inter perfectionem prorsus infinitam. Illa competebat Adamo & Evæ: hæc soli Deo. Hi tamen Protoplasti creati erant cum libertate voluntatis tam contradictionis, quam alii vocant libertatem quoad exercitium actus, quam contrarietatis, alii: libertatem quoad specificationem actus. Poterant enim non peccare & peccare, poterant hoc vel illud peccatum committere vel non committere, poterant hoc vel illo modo peccare, sed nihil inde eorum perfectioni decesset.

§. 9. Porro objicitur contra assertum, quod & nos in Protoplastis Imaginem Dei amiserimus, hoc argumentum: Non entis nullæ dantur affectiones. Cum nondum essemus, nihil amittere poteramus. Sed cum Protoplasti peccarunt, nondum eramus. Ergo. Communiter respondetur, nos in primis parentibus, cum Adam totum genus humanum tunc temporis præsentaret, sicque totum genus humanum in lumbis Adami peccasse, ac si nos omnes adfuissemus, eandem cum

Adamo habituros fuisse voluntatem. Sed dicunt *Sociniani*, hoc esse ridiculum, si dicamus, nos omnes simul cum Adamo de arbore vetita comesturos fuisse, quia impossibile fuisset, etiamsi arbor ista adhuc decies millies magnitudinem suam superasset, ut quilibet tot millium jam mortuorum, modo viventium & in posterum oriundorum hominum, tantum particulam in magnitudine cuspidis acus, accepisset. Sed respondetur: non opus fuit, ut simul omnes comederent. Apostolus expresse *Rom.* V, 14. dicit, & in illos mortem invasisse, qui non peccarunt in similitudinem transgressionis Adami, qui non particulam pomi vel arboris decerpserunt, uti Adam. Quemadmodum Dominus Feudi, si Vasallus contra Dominum peccat, jure meritoque & Vasallo & ejus posteris feudum subtrahere atque liberos propter parentes, parentes in liberis punire potest; ita Deus ut summus Dominus feudi consideratus Vasallum Adamum, qui Imaginem Dei ut feudum possidebat, in omnibus posteris ut ejus liberis jure propter crimen læsæ Majestatis punire, & omnibus, qui post eum venirent, peccatum imputare poterat. Cautionem tamen adhibeamus, nec similitudinem extendamus ultra suum scopum: amissio quidem feudi ob peccatum parentis recte negatur in adducto casu esse malum culpæ ex parte liberorum innocentium: secus tamen se res habet cum amissione Imaginis Dei, quia, ut occasione proximæ sequentis controversiæ monstrabitur, Imago Dei erat Protoplastorum naturalis perfectio, ejusque carentia necessario dicit malum culpæ. Scilicet non ex ratione & conditione imputationis peccati tanquam causæ, sed ex materiali pœnarum conditione & diversitate judicandum venit, num pœna ex majorum peccato in posteros redundans habeat rationem peccati, quam omnino amissio Imaginis divinæ in posteris arguit, amissio immortalitatis minime, quia

im-

immortalitas non erat morale bonum, ſicut Imago DEI in arctiori ſignificatu.

§. 10. Denique contra immortalitatem objiciunt *Sociniani* & alii varia. Sed ſæpe immortalitatem, qua homo neque potentia proxima, neque remota mori poteſt, cum immortalitate, qua de nunc agitur, confundunt, quando nimirum a ſtatu beatorum in cœlo, ad ſtatum integritatis argumentantur. In illo ſtatu erimus plane immortales, quoniam erimus ἰσάγγελοι; Sed in hoc fuerunt Protoplaſti tantum immortales in potentia proxima, vel uti alii loqui amant, non-mortales, immoribiles: potuerunt quidem per omnipotentiam Dei mori, ſed Deus non permiſiſſet ut morerentur, ſi in ſtatu gratiæ & integritatis manſiſſent, quia ſtipendium peccati eſt mors. *Rom.* VI,23. Et ſic in fumum abit objectio de neceſsitate cibi & potus, quibus beati in vita æterna carebunt, quia plane immortales erunt. Si autem protoplaſti plane immortales fuiſſent, etiam his carere potuiſſent. Ut dixi, a beatorum ſtatu ad ſtatum integritatis non V.C. Huc apprime facit locus *B.D. Gerhardi loc. de morte pag. 24. §. 41. Accurate*, inquientis, *inter immortalitatem primi hominis in ſtatu naturæ inſtitutæ, & immortalitatem beatorum in ſtatu Naturæ reſtitutæ diſtinguendum. Illa conſiſtebat in potentia non moriendi, hæc in moriendi impotentia; illa erat hypothetica, hæc abſoluta immortalitas; illa excludebat & actum & neceſsitatem & propinquam potentiam moriendi, non autem remotam & conditionalem, hæc & actum & neceſsitatem & omnem omnino potentiam moriendi tam remotam quam propinquam excludit. Sicut primus homo poterat non peccare, ita etiam poterat non mori, interim tamen etiam poterat per abuſum liberi arbitrii peccare & per peccatum mortem ſibi ac poſteris ſuis attrahere. Beati in vita æterna, ut non poterunt peccare, ita etiam non poterunt mori; ac proinde ut in bono, ita quoque in immorta-*

litatis dono erunt plene confirmati. Addit *B. Gerhardus* insignem *Augustini lib. XXII. de Civ. Dei cap. 30.* locum: *Sicut prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, novissima erit, non posse mori: ita primum liberum arbitrium, posse non peccare, novissimum, non posse peccare.* Deinde objiciunt *generationem*, a Deo institutam ob metum individuorum periturorum, *usum arboris vitæ, pugnam qualitatum.* Sed brevissime respondetur: generatio hominis integri, erat multiplicationis medium, non mortalitatis remedium. Arboris vitæ usus erat immortalitatis hypotheticæ & ordinatæ, sive certis mediis continuandæ character. Pugna qualitatum, calidi & frigidi, humidi & sicci, erat tantum perfectiva non corruptiva.

§. 11. Postremo objiciunt *Sociniani*, Evam non fuisse creatam ad Imaginem Dei, ex hoc fundamento, quia in dominio ponunt Imaginem Dei, quod Evæ denegant: sed hoc falsum esse, jam supra in βεβαιώσει probavi. Obj. locum 1. *Cor.* XI, 7. Ἀνὴρ εἰκὼν καὶ δόξα Θεοῦ ὑπάρχει· γυνὴ δὲ δόξα ἀνδρός ἐστιν. Vnde sic inferunt: Si mulier est gloria viri: Ergo non est Imago Dei. Sed respondetur: Nullam esse consequentiam. Quasi mulier non posset gloria viri, & tamen Imago Dei esse? hæc enim non sunt contraria, sed subordinata. Deinde Scriptura sæpe loqui videtur absolute, cum tamen secundum quid & certo respectu illud sit intelligendum. Sic 1. *Tim. II*, 14. dicitur: Adamum non fuisse seductum, quod tamen, si simpliciter accipere velis, est falsum. Sed secundum quid hoc est intelligendum: scil. quod non immediate & primum a Diabolo fuerit seductus: pari modo mulier non o ordine & modo, quo Adam, ex limo terræ ad Imag. Dei est condita, sed mediante Adamo ex ejus costa fuit creata & producta. Sic ergo Adam primitiva Dei Imago, mulier vero orta & derivata ab eo; hac ratione vero non negatur, mulierem creatam esse ad Imag. Dei. Denique posito, sed nunquam concesso, constitisse Imaginem Dei primario in dominio, tamen & hæc Imago Dei Evæ tribuenda, quia omnia verba in contextu in numero multitudinis ponuntur, sic & vocabulum רְדוּ domi-

naminii: si autem solus Adamus ad Imaginem Dei creatus fuisset, certe Deus illum non in numero multitudinis, sed unitatis, allocutus fuisset, dum ipsi dominium hoc concessit.

DISPUTATIO IV.

CONTROVERSIA XIV.

Imago Dei Protoplastis vere fuit naturalis: Absit igitur Papisticum de rebellione partis inferioris adversus superiorem sive appetitus cum ratione pugna in statu integritatis, deque statu purorum naturalium, & quod naturalia post lapsum manserint integra, commentum.

§. 1.

Quoad primum membrum hic disputatur contra Pontificios, inque primis *Bellarminum*, qui Imaginem Dei aliquid supernaturale & donum extrinsecum fuisse crediderunt. vid. *Bellarm. Lib. de Grat. prim. hom. cap. 5. 6. Pererius in Disput. de Excell. hom.* Cum quibus ex parte consentiunt alii, qui Imaginem Dei naturalem dicere vix audent.

§. 2. Circa vocabulum *naturalis* notandum, quod apud Dd. varie sumatur. Ipse *Bellarminus l. c.* inquit: *multis modis dicitur aliquid naturale* (1) *quod habetur a nativitate* (2) *quod est naturæ consentaneum, quodque eam non destruit, sed*

ornat ac perficit. (3) quod, tametsi donum sit gratuitum, tamen naturam juvat ac perficit in operibus naturalibus &c. (4) Quod aut est pars naturæ aut fluit a principiis naturæ. Tribus modis primis iustitiam originalem sive Imaginem Dei fuisse naturalem, dicit, non autem ultimo modo. Nostrates solent cum *B. Meisnero* ex *Anthropol. S.* ita distinguere: Naturale sumitur: (1) *constitutive*, pro eo, quod hominis essentiam ingreditur, eamque sic constituit v. gr. anima & corpus. (2) *consecutive*, quod ex forma ejus essentialiter fluit, & naturam ejus necessario consequitur, ut risibilitas. (3) *subjective*, quod homini penitissime ut subjecto inhæret. (4) *perfective*, quod hominis naturam perficit. (5) *transitive*, quod cum ipsa natura propagatur. Non prioribus duobus, sed tribus posterioribus modis Imaginem DEI naturalem esse docent. Deinde alia est perfectio *supernaturalis per se spectata*, alia *per accidens*, inquit *Bellarminus*. Potest enim aliquid per se spectatum supernaturale esse, quod in genere suo non est aptum fluere ex principiis naturæ: per accidens autem, quod interdum obtinetur divino miraculo, licet alias ex naturæ principiis fluere soleat, qualis fuit sensus videndi, quem Dominus cœco nato restituit. Non posteriori, sed priori modo sumpto vocabulo *Bellarminus* Imaginem Dei vocat quid supernaturale, ut deinde statum purorum naturalium eo speciosius proponere queat. Quæ hic fusius deducere ratio instituti non permittit.

§. 3. Quæri hic solet: *an Protoplastis mysterium incarnationis notum perspectumque fuerit?* Verum si probe quis ponderet, quod ipsa incarnatio demum medium contra peccata a parentibus primis commissa in plenitudine temporis esse debuerit, inque statu integritatis Protoplastis peccatum nondum notum fuerit, multo minus incarnatio ut remedium peccati. Explicare libet hoc ipsum nobili B. D.

Ræbe-

Ræberi, insignis Theologi loco, qui habetur in *Arcus triumphalis Tom. secundo Tit.* **des Hertzens Davids geistliche** *Anatomie p. 96.* Wir sollen uns für der Sünden ärger/als für einer Schlangen hüten. Denn woher kommts/daß unsere Hertzen so voller Angst seyn müssen? Von der Sünden hat alles seinen Ursprung/wie denn erscheinet/wenn wir alle exempla der beängstigten Hertzen anschauen und erwegen. Adam und Eva waren voller Angst/und wäre kein Wunder gewesen/daß sie des jähen Todes gestorben wären. Dann das war der Major und Ausspruch Gottes: **Welches Tages du von dem Baum des Erkäntnüsses gutes und böses essen wirst/wirst du des Todes sterben.** Darauf folget der Minor, das Zeugnüß des bösen Gewissens: Du hast darvon gessen. Nun war da noch kein Evangelium/oder Verheissung vom Messia, es war noch nicht diese limitation verhanden/ **woferne nicht ein Mittler kömmt/und der Gerechte für die Ungerechte stirbt**; konte also nichts anders erfolgen/als Höllen-Angst und Furcht des ewigen Todes/in dem dieser Schluß wie Pech und Schweffel sie aufs Hertz brennete: Derowegen must du des Todes sterben. Deinde quæritur: *an Protoplastis mysterium SS. Trinitatis, aliaque nota fuerint*? Nos non negamus; Ergo, dicunt adversæ sententiæ Patroni, ea primi Parentes cognita habuere vi naturalis sapientiæ; Ast sapientia naturalis se non extendebat ultra ea, quæ lumini naturæ erant subjecta. Respondetur: quasi vero singulari revelatione, & supernaturali notitia hæc illis nota esse nequivissent. Non enim, quæ lumen naturæ excedunt & mysteria sunt, nisi per supernaturalem revelationem Protoplastis innotuerunt. Bene B. D. *Carpzovius Isag. in libb. Symbb. in A. C. ejusque Apol. Art. II. de P. O. p. 159.* scribit: *Imago Dei naturale quid dicitur, & quidem proprie, quia non extrinsece accessit naturæ, sicut dona supernaturalia (quæ non ne-*

negantur a nobis, uti calumniatur Bellarminus.) Regerunt Adversarii: Notitia mysteriorum pertinuit ad Imaginem Dei, adeoque Imago Dei fuit supernaturalis. Resp. Sano sensu accipiendum esse, quod notitia mysteriorum ad Imaginem Dei spectaverit: nam Protoplasti habuerunt easdem species intelligibiles, quas nunc habent homines species & objecta: Jam vero nullum datur in rerum natura objectum, quo mediante homo naturaliter mysterium SS. Trinitatis cognoscere possit; non tamen nego, intellectum hominis in integritate multo fuisse perfectiorem nostris intellectibus, & quod in eo quædam præcipua pars Imaginis divinæ fuerit, & quod mysteria hæc, vi Imaginis divinæ, primi parentes statim assequi atque illis plenum assensum præbere potuerint, quod intellectus noster in hac vita propter amissionem Imaginis divinæ non amplius valet, quo etiam sensu notitia mysteriorum ad Imaginem DEI primo homini naturalem spectat.

§. 4. Rebellionem *Bellarminus c. l.* ita demonstrat: *Homo naturaliter constat ex carne & spiritu. Et quidem ratione carnis & communionis cum bestiis propensionem habet ad bonum corporale & sensibile; ratione spiritus & communionis cum Angelis propensionem habet ad bonum spirituale & intelligibile, &c. ex his autem diversis vel contrariis propensionibus existit in uno eodemque homine pugna quædam, & ex ea pugna ingens bene agendi difficultas.* Ad hæc verba mox respondebitur in objectionibus, quod rebellionem rationis & appetitus nondum demonstrent. Nec opus hic est, hypothetice statum purorum naturalium ponere, ut posito hoc statu, rebellio appetitus cum ratione admitti possit, cum utrumque falsum & in Scriptura Sacra non fundatum sit.

§. 5. Denique naturalia post lapsum mansisse integra, *Bellarminus c. l.* asserit his verbis: *Natura humana per Adæ lapsum est corrupta & vulnerata, scilicet si respiciatur status,*

ad

ad quem Dei benignitate per donum ſupernaturale fuerat evecta; Eadem autem eſt integra, ſi referatur ad eum ſtatum, in quo eſſe potuiſſet, ſi in puris naturalibus a Deo condita fuiſſet. Hæc conditio eſt fruſtranea, nihilque ponit in eſſe, cum talis ſtatus nunquam excogitari poſsit, in quo homo absque Imagine Dei exſtitiſſet: nam Deus eodem momento, quo creavit primos homines, etiam Imaginem ſui ipſis concreavit.

§. 6. Theſin meam, quod Imago DEI fuerit naturale quid, probo a contrario, nempe a peccato originis. Si peccatum originis homini eſt naturale, quod in locum juſtitiæ originalis ſucceſsit, & una in ac cum peccato naſcimur, Imago Dei etiam fuit naturale quid. At prius eſt verum. Ergo. Major eſt clara: Nam contrariorum contraria eſt ratio, nec toto genere differre poſſunt. Minor probatur ex *Pſalmo* LI, 7. הֵן־בְּעָוֹן חוֹלָלְתִּי וּבְחֵטְא יֶחֱמַתְנִי אִמִּי׃

§. 7. *D*einde probo, notitiam myſterii SS. Trinitatis non pertinuiſſe ad Imaginem Dei, ſed Deum Protoplaſtis hoc ſingulari gratia revelaſſe, ſequenti ratiocinio: Quicquid eſt ſupernaturale, illud ex lumine naturæ cognoſci nequit. Atqui notitia de myſterio SS. Trinitatis &c. E. Et per conſequens notitia de myſterio SS. Trinitatis non pertinet ad Imaginem Dei, quia hæc erat naturalis, illa autem ſupernaturalis, quod ſtatim probabo. Major ex terminis conſtat. Minor jam ſupra probata eſt, quod in tota rerum natura nullum objectum fuerit, quo mediante Protoplaſti ſibi Trinitatem Dei imaginari potuiſſent: omnis autem notitia vel oritur ex informatione, vel revelatione, vel experientia, quæ experientia per objecta mundana mediantibus hominum ſenſibus comparatur. Per informationem ſcire non poterant, quia præter Deum nullus fuit, qui informationem hanc ipſis impertire potuiſſet: ſi autem Deus ipſe eos informavit,

ipſis omnino eſt revelatum : nam immediata Dei informatio eſt ipſa revelatio. Per experientiam non poterant notitiam talem habere,quia nullum ſimile objectum,ubi unum tres,& tres unum fuiſſent, inveniri poterat. Et ſic certum eſt, Deum hoc myſterium Protoplaſtis ſingulari modo & peculiari gratia revelaſſe. Quod autem hæc ſententia perfectioni Protoplaſtorum nihil detrahat, ſupra indicavi: In hoc enim conſiſtit differentia hominum ante & poſt lapſum,quod illorum intellectus horum intellectum multo ſuperarit: illis omnino poſt manifeſtationem erant perſpecta, his ſemper in mente manent caligo & tenebræ.

§. 8. Porro probo,primos homines absque rebellione appetitus & rationis creatos fuiſſe ex *Geneſ. I. v. ult.* collato cum *Eccleſ.* VII, 29. *Epheſ.* IV, 24. *Geneſ.* II, 25. Quæcunque natura fuit (טוֹב מְאֹד) valde bona(יָשָׁר) recta,ſancta & juſta & absque ἀταξίᾳ, in illa nulla fuit rebellio partis inferioris adverſus ſuperiorem. Natura primi hominis fuit talis &c. per *citt. locc.* Ergo. Major eſt absque dubio. Minor eſt Spiritus Sancti.

§. 9. Denique ſtatum purorum naturalium nunquam fuiſſe,non indiget probatione prolixiori, quia pugnat cum concreata Imagine,& ex Scriptura Sacra demonſtrari nequit. Sic etiam ſententia, quæ ſtatuit, quod naturalia poſt lapſum manſerint integra, deſtructa hypotheſi, quod Imago DEI fuerit aliquid ſupernaturale, ſua ſponte corruit. Ex abundanti autem probo ex *Coloſſ.* II,13. ὑμεῖς νεκροὶ ὄντες ἐν τοῖς παραπτώμασι. Qui plane mortuus eſt in peccatis, certe naturalia non habet integra. Sed omnis homo &c. Ergo.

§. 10. Objicitur inter alia a *Bellarmino Geneſ.* III,19. עָפָר אַתָּה וְאֶל עָפָר תָּשׁוּב: His verbis *Bellarminus l. c.* hunc ſenſum affricat: *Quanquam te valde glorioſum mea benignitate effecerim, ita ut poſſes neque mortem neque mala ulla for-*

formidare, tamen ex natura tua pulvis eras, mortalis, fragilis, doloribus laboribusque obnoxius: & quia dono illo meo superaddito, culpa tua, spoliatus es, & in statum tuum naturalem recidisti, ideo nunc etiam pulvis es, & in pulverem reverteris. Sed negamus hoc assertum, hanc fuisse Dei mentem. Argumentum Syllogismo tali includi potest: Qui natura sua est pulvis & mortalis, ei Imago Dei non est naturalis. Primus homo natura erat pulvis, h. e. *Bellarmino* interprete, mortalis. Ergo. Respondetur ad Majorem: Qui natura pulvis est secundum omnes scil. essentiæ partes, ei Imago non potest esse naturalis. Sed sic nego Minorem. Nam primus homo non quoad omnes partes essentiales, sed tantum quoad corpus pulvis fuit: Quamvis autem corpus ex limo terræ formatum sit, atque hinc respectu originis suæ pulvis dicatur, ipsum tamen corpus naturali immortalitate donatum est.

§. 11. Alii objiciunt hoc argumentum, quo destruere sententiam, Imaginem Dei fuisse quid naturale, satagunt: Vt hodie renovamur, ita olim eramus conditi. At renovamur per dona gratiæ. Ergo cum iis eramus conditi. Item: Qualis Imago DEI nunc instauratur, talis est deperdita. Sed supernaturalis instauratur. E. Resp. Alius est status naturæ integræ, alius corruptæ: In illo fuit Imago Dei naturalis, in hoc est supernaturalis: nam potest quid naturale & supernaturale esse diverso respectu. Visus in homine quoad omnia corporis membra, & organa sensuum perfecte nato est quid naturale, recuperatio & restauratio visus in homine cœco nato est quid supernaturale; sic etiam Imago in nobis recuperata & restaurata est quid supernaturale, quod in Protoplastis fuit naturale quid.

§. 12. Quid pro sententia, quando putant mysterium SS. Trinitatis Protoplastis notum fuisse, objicerent, hactenus ne-

que ex Scriptura, neque ex ratione, ſolidi quid Patroni invenerunt, niſi auctoritatem ſecus docentium. Sed illi Theologi nihil aliud intellexere quam capacitatem primorum hominum, qua nobis in hoc ſtatu longe prævalebant, quæ omnino fuit naturalis, ut Deo revelanti absque ulla remora atque impedimento aſſenſum præbere poſſent, quod jam jam intellectus noſter nequit.

§. 13. Ad verba *Bellarmini* pro ſtabilienda rebellione cum ratione & appetitu allata, quæ huic Syllogismo includi poſſunt: Si homo naturaliter conſtat ex carne & ſpiritu, caro autem cum beſtiis propenſionem habet ad bonum corporale & ſenſibile, ſpiritus ad bonum ſpirituale & intelligibile, ſequitur, quod ex his contrariis propenſionibus oriatur pugna inter rationem & appetitum, ſive inter partem inferiorem atque ſuperiorem. Sed prius eſt, &c. Ergo. Reſpondeo: Negatur Minor, in qua aſſeritur, quod petebatur ab initio. Jam contrarium in βεβαιώσι oſtendimus, nullam ſcilicet inter carnem & ſpiritum fuiſſe repugnantiam aut contrarietatem.

§. 14. Figmentum ſtatus purorum naturalium, quia & *Bellarminus* tantum hypothetice defendit, nullibi probatur. Sic etiam, naturalia poſt lapſum manſiſſe integra, demonſtrata falſitate, quod nunquam talia in homine fuerint naturalia, deſtructaque hypotheſi, quod Imago fuerit ſupernaturale quid, ſponte ſua corruit, nullo quoque argumento nullave ratione demonſtari poteſt.

CONTROVERSIA XV.

Deus ſua providentia ad bonas hominum actiones, imo etiam ad materiale

riale actionum malarum concurrit: non autem malarum, quatenus malæ sunt, est causa, sive per se, sive per accidens.

§. 1.

Τὸ ὅτι, sive quod detur providentia divina, nemo nisi atheus negabit, cum quibus jamjam nobis non agendum: Christianis ex Scriptura Sacra necessario constat: Jam autem in primis contra Calvinianos hanc posui thesin, Deum ad materiale actionum humanarum malarum æque ac bonarum concurrere asserentes, cum tamen hic probe distinguendum sit inter concursum DEI *generalem* & *specialem*: Ille est, quo Deus voluntatem hominis non determinat, concurrit autem tantum cum ea ad entitatem actus, sicuti cum omnibus causis secundis ad omnem earum effectum concurrit, quas tamen non determinat: Hic, quo Deus voluntatem hominis determinat ad talem actum, & cum ea concurrit: sic in rebus spiritualibus non tantum Deus concurrit generaliter, verum etiam specialiter ad ipsam actionis virtutem, & peragit velle & perficere. *Phil.* II, 13. Deinde concurrere dicitur vel *effective* vel *permissive*: Illo modo dicitur concurrere per causalem influxum in effectum: hoc modo, quando actionem quandam malam permittit. Hic autem observandum, quod factum malum permittere, non idem sit, ac tacite concedere, sed non violenter impedire, quod alias non fieret. Porro notandum, quod vocabula ista, quæ alias Deum causam peccati facerent, quamvis sint activa, non tamen active, sed permissive intelligenda sint: nam quando proprietas literæ impingit vel in articulum aliquem fidei, vel in alios textus manifestiores, discedendum est a li-

tera, & recurrendum ad phraſes ſive figuras, ut verba Scripturæ tractentur κατ' ἀναλογίαν πίστεως *Rom.* XII, 6.

§. 2. Cauſam peccati Deum eſſe, abſolute atque aperte hodie nemo facile aſſeruerit, quamvis Calviniani, quamdiu Majores ſuos hac in re fundamentalis cujusdam erroris arguere nolunt, tam diu ſeſe ſuſpectos reddant.

§. 3. Quod ad libertatem voluntatis attinet, notandum, hic non quæri de libertate in ſpiritualibus, quæ poſt lapſum nulla eſt, ita ut nemo ſui converſionem operari aut quicquam ad eam cooperari poſſit: ſed de libertate in rebus civilibus aliisque externum cultum attinentibus, item in operationibus, quæ fiunt a renatis: Hæc autem eſt libertas a neceſſitate, vi cujus, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, homo poteſt agere & non agere. Hanc Reformati omnes negant. Vnde *Daniel Chamier Panſtrat. Cathol. Tom. III. L. II. num. 12.* ſcribit, *poſſe virtutibus ac vitiis conſtare ſuam bonitatem & malitiam moralem, etiamſi iis adſit aliqua neceſſitatis ſpecies, dummodo non fiant coacte & violenter.*

§. 4. Βεβαίωσις primi membri θέσεως ſumitur ex *Act.* XVII, 28. ἐν αὐτῷ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμεν. In quocunque vivimus, movemur & ſumus, ille ad omnes actiones concurrit. Sed in Deo &c. Ergo. Major eſt manifeſta: ſi in Deo movemur, & absque eo ne digitum extendere, vel curvare, aut movere poſſumus, niſi ad omnes noſtras concurrat actiones, certe etiam ad materiale actionum malarum concurrit. Minor eſt in textu.

§. 5. Alterum membrum probo, Deum nullo modo eſſe cauſam peccati ex Pſalmo V, 5. לֹא אֵל חָפֵץ רֶשַׁע אַתָּה לֹא יְגֻרְךָ רָע׃ Quicunque nullo modo vult peccatum, illudque ac peccatores deteſtatur & punit, ille non eſt ullo modo cauſa peccati. Sed Deus &c. Ergo.

§. 6. Ultimum membrum theſeos probatur ex *Deut.* XI, 26.

XI,26. & *Jerem. XXI,8.* e quibus ſua ſponte fluunt verba *Eccleſiaſtici cap. XV, 17. ſeqq.* ſic ſonantia: *Ignem & aquam tibi propoſui, ad utrum voles, manum tuam extende, vita ſimul & mors propoſita ſunt homini, & utrum placuerit, dabitur ei.* Quicunque habet libertatem extendendi manum vel ad ignem, vel ad aquam, eligendi mortem vel vitam, ille habet arbitrium liberum a neceſsitate. At quilibet hominum &c. Ergo. Major probatur: quia ne quidem intrinſece libertas dici poteſt, quæ non eſt libertas a neceſsitate. Minor eſt in textu. Deinde experientia theſin probat, quia quilibet poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt agere & non agere, poteſt hoc vel illud, hoc vel illo modo agere, poteſt legere & non legere, ſcribere & non ſcribere, poteſt ſedere, ambulare, comedere, bibere &c. poteſt ſcribere hebraice, græce, latine, germanice, gallice, &c.

§. 7. Objicitur circa primum membrum: Si Deus ad omnes actiones concurrit, non poteſt non eſſe cauſa peccati. Sed prius eſt juxta *Act.* XVII, 28. Ergo. Major probatur: quia ſi Deus non eſſet cauſa actionis, neque actionis ἀταξία ſequeretur. Reſpondetur, negando Majorem: Deus enim concurrit quidem ad actionem, non vero ad turpitudinem actionis, ad entitatem, non autem ad inordinationem entitatis. E. gr. concurrit ad extenſionem manus furis, non autem concurrit ad furtum; concurrit ad actionem homicidæ, ſed non ad homicidium; ad homicidium ut dicit actum, non autem quatenus dicit peccatum. Diſtingvendum enim eſt inter peccati materiale & formale: materiale eſt actio præciſe ſpectata, formale ἀταξία actionis: ad materiale actionis malæ concurrit Deus, non ad formale. Hic probe cavendum, ne diſtinctio inter materiale & formale peccati in ſenſu Calviniſtico accipiatur: quippe in hoc ſenſu falſiſsimum ac impium eſt, Deum concurrere ad materiale peccati, quia ipſi vocant ma-

materiale, quod in rei veritate formale est, & nos non materiale, sed formale vocare necessum habemus. E. gr. Materiale incestus ab Absolone commissi *Wendelinus* vocat concubitum voluntarium cum uxore sui patris sive noverca, vultque, Deum necesitasse Absolonis voluntatem, ut vellet concumbere ac volens concumberet cum sua noverca. Qua hypothesi stante, omnino ac per se consequeretur, Deum esse causam hujus peccati ab Absolone commissi quoad formale. Adde *B.D. Carpzovii Isagog. in Libb. Symbb. p. m. 500.* Ad probationem resp. Deum esse causam actionis, phrasis est ambigua: potest enim intelligi primo hoc sensu, quod Deus sit causa voluntatis, ita ut determinet voluntatem hominis ad actionem, ut homo hanc vel illam actionem peragere necessum habeat: deinde quod concurrat cum voluntate, qua homo ipse sese determinavit ad hanc vel illam actionem. Priori modo non potest concedi, Deum esse causam actionis, quia Deus nulli hominum imponit necessitatem: non enim homo ad peccatum determinatur a causa prima, utut quando causa secunda agit, prima semper concurrat. Posteriori modo conceditur, sed inde non sequitur, Deum esse causam peccati.

§. 8. Ut Deum causam peccati faciant Calviniani, urgent imprimis exemplum Pharaonis & similia, ubi Deus dicitur indurare *Exod. IX, 12.* excœcare, seducere, errare facere &c. sed jam ante monui, non omnia verba activa active esse intelligenda. Deinde illa induratio, excœcatio & seductio non ponit in Deo actum, quo induret aut excœcet, sed negat potius concursum gratiosum & gratiæ divinæ continuationem, quam Deus ex justo judicio peccatori pertinaci atque refractario subducit, ut hæc gratiæ subtractio sit pœna justissima, peccatis antegressis respondens. Et sic *Deus dicitur indurare, quando non mollit*, uti loquitur *Augustinus de Prædest. Sanct. c. 4.* §. 9.

§.9. Contra ultimum membrum objicit *Chamier Panſt. Cath. L.2.de Lib. arbitr. c. 4. n.12.13. Si nulli directionis* (ſtatuit vero neceſsitatem triplicem, de qua vide *B. Dn. Slevogti Diſpp. Acadd. Diſp. H. de Indiff. vol. hum. in ordine ad actiones morales p. m. 575.*) *neceſsitati obnoxium eſſet liberum arbitrium; ergo pleraque divina decreta eſſent incerta & fruſtranea. At hoc abſurdum. Ergo & illud. Conſequentia patet: quia tum decretorum executio penderet a creaturis, quæ ſupponuntur poſſe nolle id, quod Deus decrevit, ac tum certum eſſet ea decreta in ventos abitura. Conſequens impium ac abſurdum eſt, Matth. XIV. Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Et alias teſtatur Scriptura, divina effecta pendere a voluntate divina Eph. I. omnia efficit ex conſilio voluntatis ſuæ. Eſt ergo certa concluſio, liberum arbitrium non tollere omne genus neceſsitatis.* Reſpondetur, negando conſequentiam. Nec hoc abſurdum eſt, ſi dicamus, decreta Dei pendere ab hominum actionibus: nam decreta Dei nituntur præſcientia Dei, præſcientia autem Dei dicitur a præſciendo vel prævidendo: prævidit Deus hominum actiones, antequam homines crearet, num futuræ eſſent bonæ vel malæ? & juxta hanc præſcientiam decreta Dei ſunt facta. Neque hoc falſum eſt, quod dicitur, homines poſſe nolle quæ Deus jam ſemel decrevit: poſſunt quidem nolle, an autem actu nolint? hæc eſt alia quæſtio. Deinde quod dicta allegata attinet, hæc nullos hominum privant ſua libertate: nam libertas bene cum immutabili DEI verbo conſiſtere poteſt, quæ non ſunt contraria, ſed ſubordinata, & ex jam dictis patet, quomodo Deus dicat, prius cœlum & terram tranſitura quam verba ſua. Verba DEI manent veriſima & immutabilia, etiamſi homo ſua gaudeat libertate: nam nihil Deus verbo ſuo dixit futurum, quod non jam diu præſciverit neceſſario (nempe neceſsitate conſequentiæ) futurum

esse: nihilominus homo retinet suam libertatem, cum præscientia Dei dependeat ab hominum actionibus, nec illa sit causa rerum futurarum: quemadmodum enim postscientia non est causa præteritorum, ita præscientia non est causa futurorum. Ad alterum dictum ex *Ephes.* allegatum respondetur: verba Apostoli esse intelligenda tum *restricte*, determinate & secundum subjectam materiam, nimirum de electis & donis seu charismatis, quæ in illis Deus operatur, sicuti etiam accipit *Sohnius Tom. 2. p. 637.* tum *reduplicative*, ut sit sensus: Omnia quæcunque operatur, secundum destinatum voluntatis suæ propositum & consilium operatur, nam quæcunque voluit, fecit.

Controversia XVI.

Datur peccatum originis, estque vere & proprie dictum peccatum, a quo reatus æternæ etiam damnationis realiter inseparabilis est, inque hoc ipso peccato omnes Adæ posteri, præter Christum, concipiuntur & nascuntur, non autem solum nascuntur sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, sed & cum concupiscentia, ut docet Formula Concordiæ. Unde merito heterodoxam Pontificio-

rum ſententiam peccatum O. formaliter in mera privatione conſiſtere docentium, utpote Scripturæ Sacræ Canonicæ manifeſto contrariam rejicimus.

§. 1.

Statim ab initio hic contradico *Socinianis* P. O. negantibus. *Adami peccatum poſteros minime peccati reos facit*, inquit *Slichting. Comm. T. I. f. 203.* uti & *Pontificiis*, qui quoque peccatum originale vere & proprie eſſe peccatum ſtrenue negant & pernegant. Sic enim *Alberus Pighius: Peccatum eſt exorbitatio a lege: nulla autem lex proferri poteſt, per quam obligantur omnes homines habere juſtitiam illam originalem, quæ Adæ data fuit.* Et porro: *Vt maxime eſſet talis aliqua lex, peccatum deputandum eſſet illi tantum, qui propria ſua culpa juſtitiam ſuam deperdidit.* Plura ejus, ut & *Andradii* verba videantur in *Examine Concil. Trid. B. D. Mart. Chemnitii L. de P. O. p. m. 88. ſeqq.* Hoc autem falſiſſimum eſſe quilibet videt, & quidem, quod ad prius: quilibet noſtrum ſimul in & cum Adamo legem ſibi a Deo præſcriptam naturalem accepit: quemadmodum enim Adam totum repræſentabat genus humanum, ita etiam toti generi humano in Adamo lex naturæ præſcripta erat. Ad poſterius reſpondi ſupra *Controverſ. XIII.* §. *19.* dignaque ſunt verba *Bellarmini*, quæ legantur, dum *lib. 4. de amiſſ. grat. c. 10. p. 375.* ait: *O. P. voluntarium nobis eſt* (h. e. propria culpa deperdidimus juſtitiam originalem, nam quicquid a nobis voluntario committitur, noſtra culpa committitur) *quatenus Adam, cum peccavit, totius naturæ perſonam geſſit.*

§. 2. Βεβαίωσις sumitur ex *Rom.* V, 12. δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον. Quod hæc verba de primo homine nempe Adamo, illiusque peccato (quod alioquin peccatum orginis originans vocant, ut & de omnibus hominibus eorumque peccato, quod una cum noſtra origine in nobis oritur, & alias peccatum originatum dicitur) & quod per hoc peccatum, quod in Adamo non imitatione, uti *Sociniani* volunt, ſed ipſo actu commiſimus, morti obnoxii ſimus, intelligenda ſint, ipſe docet contextus: Vnde ita infero: Si per unum hominem (ſcilicet Adamum) peccatum in mundum (h. e. in omnes poſt eum homines) venit, & per hoc peccatum mors, omnesque in illo peccaſſe dicuntur, ſequitur peccatum originis adhuc ſupereſſe, & proprie peccatum dici, inque nobis quoque mortem ac damnationem æternam actu mereri. At prius eſt. Ergo. Major ex terminis conſtat. Minor eſt in textu. Nec eſt quod excipiant *Sociniani*, vocabulum ἐφ' ᾧ nonnunquam cauſaliter ſumi, ut idem ſit ac *eo quod*; hoc enim poſito, ſed non conceſſo, adhuc adeſſet ratio, ob quam morti obnoxii ſint omnes homines, nempe quia peccarunt. Sed quod hic loci non ita ſumatur, facile eſt demonſtratu. Nam hic ſubjective, relative & perſonaliter, *in quo* reddendum eſſe, ex textus συναφείᾳ, ἀντιθέσει & peccantium diſtinctione patet. *Quidam enim non peccarunt in ſimilitudine transgreſſionis Adami verſ. 14.* i. e. exponente ipſomet *Smalcio: in perſona propria, ſive immediate*, quos nihilominus Apoſtolus peccaſſe docet. Ergo peccarunt in perſona aliena ſive in Adamo, quamvis non voluntate formali ut Adam, tamen voluntate interpretativa ſive virtuali.

§. 3. Objiciunt *Sociniani* præter argumentum occaſione *Controverſ. XIII.* §. *9.* citatum, locum ex *Deut. I, 39.* ex quo loco

loco etiam *Pelagiani* & *Anabaptiſtæ* P. O. inficiantur, imprimis *Rannichius in Colloquio Franckenthalenſi, actione 32. n. 6.* hunc locum maxime urget. Verba textus hæc ſunt: וְטַפְּכֶם וּבְנֵיכֶם אֲשֶׁר לֹא־יָדְעוּ הַיּוֹם טוֹב וָרָע: *Et parvuli veſtri & filii veſtri, qui non norunt hodie bonum nec malum.* Eſto argumentum: Qui non noverunt bonum & malum, illi non poſſunt habere peccatum originis. At parvuli &c. Ergo. Reſpondetur, nullam eſſe conſequentiam in Majore, nam in textu dicitur לא ידעו *non noverunt*; ſi textus diceret, non habuerunt, aliquid concluderent, quamvis & tunc res nondum ſalva foret, quoniam infantes ſæpe *politice* nec bonum nec malum ſciunt vel habent, nihilominus *theologice* dicuntur peccatores. Hic autem a non noſſe ad non habere non licet concludere.

§. 4. *Bellarminus* objicit *lib. 1. de ſtat. peccat. c. 1. & l. 5. c. 9. it. l. 5. de grat. & lib. arbitr. c. 14. Nihil habet proprie rationem peccati, niſi ſit voluntarium, & fiat a ſciente & volente. Labes originalis non eſt voluntaria, neque fit a ſciente & volente. Ergo non eſt peccatum.* Num autem *Bellarminus* ſibi ipſi contradicat, ſi hic locus cum ſupra §. 1. citato comparetur, res alieni judicii eſto. Interim reſpondeo ad argumentum negando Majorem & Minorem: Circa Majorem contrarium probo ex *Pſal. XIX, 13.* ubi David ipſe queritur שְׁגִיאוֹת מִי־יָבִין מִנִּסְתָּרוֹת נַקֵּנִי *Delicta quis intelligit? ab occultis munda me.* Minor etiam non eſt abſolutæ veritatis, etiamſi peccatum orginis in nobis non ſit formaliter & ad eundem modum, quo in Adamo, voluntarium, tamen virtualiter & interpretative, uti ſuperius dictum, eſt voluntarium.

§. 5. Quod a peccato originis reatus æternæ etiam damnationis realiter inſeparabilis ſit, ex modo dictis liquet, quia eſt vere & proprie dictum peccatum: Ab omni autem ve-

re & proprie dicto peccato culpa & reatus realiter separari nequeunt, eo quod ab eo realiter non differant. Hinc *Ephes.* II, 3. dicimur τέκνα Φύσει ὀργῆς: Non vero essemus natura filii iræ, nisi peccato, in quo nascimur, quodque ex nativitate nostra habemus, iram divinam, mortem temporalem & æternam actu mereremur.

§. 6. Nec est, quod dicatur, peccatum originis esse quidem sufficientem, non autem adæquatam æternæ damnationis causam. Non enim peccatum posset esse sufficiens causa æternæ damnationis, nisi esset adæquata. Hoc autem contra *Arminianos* observandum, qui hac phrasi utuntur, P. O. non esse adæquatam causam damnationis, plane vero alio sensu, quam illi, qui supponunt meritum Christi, quo non solum pro originali, verum etiam pro actualibus peccatis satisfecit, ut nullum sit κατάκριμα *Rom. VIII, 1.* in vere credentibus. Arminianos namque in articulo de P. O. pelagianizare notum est. Nec verò defendi aut excusari possunt, qui, utut mollius sentiant quam Arminiani de peccato originis, dum causam sufficientem æternæ damnationis esse dicunt, causam tamen adæquatam esse adhuc negant. Nam dantur infantes, qui actu æternum damnantur, nec tamen aliud habent peccatum, quam originale *Rom. V, 14.* Probe interim distingvo inter peccatum originale in se, & præcise spectatum, & inter P. O. quatenus stat (ceu loqvuntur orthodoxi Theologi) sub finali incredulitate. Priori modo spectatum non est ipsa causa adæquata in actu secundo ipsius actualis æternæ damnationis, quia alias unusquisque homo actu æternum damnaretur, æternaque morte actu periret, nemo vero æternam salutem consequeretur, quod manifesto falsum ac Scripturæ Sacræ Canonicæ apertissime repugnat. Nam non infantibus solum, qui damnantur, sed & infantibus, qui salvantur, imo omnibus omnino hominibus ad extremum

tremum usque vitæ halitum labes peccati originalis ſemper adhæret: Poſteriori autem modo conſideratum manet cauſa adæquata actualis damnationis, multique infantes actu damnantur, qui nullum aliud habent peccatum, quam originale, quod eſt cauſa adæquata æternæ actualis damnationis eorum, uti ſcilicet (peccatum originale) ſtat ſub finali incredulitate. Ex eo facile liquet, cur Gentilibus Deum ex mero naturæ lumine cognoſcentibus, juxta præſcriptum rectæ rationis ſibi relictæ viventibus, imo etiam multarum ac plane eximiarum virtutum laude clarisſimis illuſtribusque, ſalus æterna tribui nequeat. Quid enim clarius poterat eſſe verbis Salvatoris noſtri *Marc. XVI, 16. ὁ ἀπιςήσας κατακριθήσεται, qui non crediderit, condemnabitur;* quibus manifeſto repugnant illa *Zwinglii*, quæ tradit *in expoſitione Fidei Chriſtianæ part. II. Oper. Polem. fol. 559.* Poſtquam enim ſcripſerat ille: *Sperandum eſt tibi viſurum eſſe, ſanctorum, prudentium, fidelium, conſtantium, fortium, virtuoſorum omnium, quicunque a condito mundo fuerunt, ſodalitatem, cœtum & contubernium. Hic* (in vita ſcilicet æterna) *Herculem, Theſeum, Socratem, Ariſtidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones, videbis. Et ſummatim non fuit vir bonus, ab ipſo mundi exordio usque ad ejus conſummationem, quem non ſis iſthic cum DEO viſurus.* Alia autem eſt quæſtio de Infantibus Chriſtianorum & Gentilium. Illis, cum ſint in ſtatu fœderis gratiæ nati, præmatura vero morte ante baptiſmum ex hac vita eripiantur, quamvis cum peccato ſint nati, tamen propter Chriſti meritum, quia in Eccleſia Chriſti ſunt nati, æternam ſalutem non denegamus: Nam DEus non ſibi, ſed nobis media ad ſalutem præſcripſit, nec privatio, ſed contemptus ſacramenti vel mediorum damnat: His autem nempe Gentilium liberis, ſi divinæ veritatis tabulas evolvamus, non poſſumus non

vitam

vitam æternam denegare, quia nec parentes nec liberi sunt in statu gratiæ & gratiosi fœderis.

§. 7. Non igitur hæc duo inter se pugnant: ob peccatum originale unumquemque hominem iræ divinæ esse obnoxium ac reum æternæ damnationis, & Peccatum Originale esse causam sufficientem & adæquatam actualis æternæ damnationis, quatenus illud stat sub finali incredulitate. Nullum namque peccatum tam atrox est, a quo vera fides in Christum non liberet. Hinc licet quisque peccato originali actu mereatur æternam damnationem, reatus tamen æternæ damnationis homini vere credenti, etsi peccato originali infecto, non imputatur, quia peccatum originale ei non imputatur, cum sit per fidem Deo reconciliatus *Rom. V, 1.* οὐδὲν γὰρ κατάκριμα τοῖς ἐν χριστῷ Ἰησοῦ. *Rom. VIII, 1.*

§. 8. Denique quod *Pontificios* peccatum originis meram privationem esse dicentes attinet, volunt illi, peccatum originis esse tantum doni alicujus supernaturalis privationem, ac ipsam interim hominis naturam adhuc esse talem, qualis fuerit primo condita. Inde impiæ illæ in *Bellarmini* aliorumque cerebro similitudines natæ sunt, quibus immane quantum sibi placentes imaginem DEI nunc comparant cum pulcherrima veste, quæ leprosum primi hominis corpus ornaverit, quaque exutus homo nihilominus manserit integer, utut nudus redditus sit; nunc cum serto, quod virginis capiti imponatur, quoque amisso ipsa nihilominus virgo maneat; nunc cum Samsonis crinibus (quod est *Bellarmini lib. de grat. primi hominis cap. 5.* exemplum) *post quos resectos cum insignem illam fortitudinem divinitus acceptam ille amisisset, infirmus factus dicatur, non quod esset jam infirmior, quam ipsi homines ut plurimum esse soleant, sed quod esset infirmior, quam jam antea fuisset.*

§. 9. Hanc

§. 9. Hanc ſententiam jam tum refutavimus *Contro-verſ. XIV.* §. *9. & 14.* dum oſtendimus, naturalia in hominibus poſt lapſum neutiquam manſiſſe integra. Diximus enim, P. O. talem eſſe defectum, quem corruptio naturæ, vel, ut eleganter *Auguſtinus* loquitur, pudenda concupiſcentia comitetur: talem privationem, quæ intellectum denſis ignorantiæ tenebris involvat, voluntatem ad bona temporalia convertat, appetitum Deo & rectæ rationi rebellem conſtituat, hominem ſub reatu æternæ damnationis ponat; quin & quoad corpus hominem mortalem, omnibusque hujus vitæ miſeriis obnoxium reddat. Et hic eſt ille ipſe defectus, quem Scriptura Sacra Canonica innuit 1. *Ioh.* III, 4. ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία: Et *Rom.* III, 23. πάντες ἥμαρτον, καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ. In priori loco utitur *Apoſtolus* vocabulo ἀνομία, quod compoſitum eſt ex α privativo & νόμος, quo indicatur privatio. Deinde vocabulum ὑστερέομαι, quod in poſteriori loco occurrit, nihil aliud ſignificat quam *deſtituor, careo, deficio:* ubi iterum στέρησις indicatur, & quidem in tali capite & loco, ubi *Apoſtolus* ex inſtituto de peccato agit.

§. 10. Si ergo non tantum Imago Dei eſt deperdita, ſed ipſa quoque hominis natura miris ac miſeris modis eſt corrupta, illaque naturæ corruptio ſimul complectitur omnium animæ virium ad malum pronitatem & impetum, adeo ut vis agendi in homine ſit tantum ad peccatum prona ac prompta, quisque a præconceptis opinionibus liber videt, qua ἑτεροδοξία Pontificii, quique eorum partes ſive tuentur, ſive non averſantur, peccatum originis pro mera privatione venditent? Locus inſignis exſtat *Gal.* V, 17. ἡ σὰρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύματος· τὸ δὲ πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκός. ταῦτα δὲ ἀντίκειται ἀλλήλοις, ἵνα μὴ ἃ ἂν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε. Ubi per carnem *Apoſtolus* nihil aliud intelligit quam hominem ſibi relictum absque illuminatione Spiritus Sancti & absque gratia divina viventem h. e. peccaminoſum, uti vocabulum

σάρξ, quando πνεῦμα opponitur, intelligendum venit. Huic carni Apoſtolus adſcribit concupiſcentiam, quæ certe eſt quid poſitivi, aperteque indicat rebellionem inter corpus & animam, inter terrena & ſpiritualia. Deinde ex ultimis verbis patet, non omne peccatum eſſe voluntarium, quia non ſemper illud boni, quod volumus, agere poſſumus, ſed ſæpe malum, quod nolumus, agimus. conf. *Rom.* VII, 18. Vnde ſic infero: In quocunque datur concupiſcentia, pugna & rebellio, in illo eatenus datur quid poſitivi. Sed in hominibus &c. Ergo. Major eſt clara, quia concupiſcentia non conſiſtit in privatione, ſed habitum & actum indigitat: actus vero hic ſive habitus dicitur peccatum *Rom.* VII, 7. Minor eſt Apoſtoli. Deinde argumentor: Quicunque bona, quæ vult, non facit, facit vero mala, quæ non vult, ille committit peccatum, nec tamen voluntarie. Atqui homines, quæ volunt bona non faciunt &c. Ergo. Major eſt ex terminis perſpicua. Minor eſt in ultimis dicti verbis. Confer. *Rom.* VII, 18.

§. 11. Pontificii objiciunt, quod P. O. non ſimul ſit aliquid poſitivi, in ſpecie *Bellarminus L. V. de amiſſ. grat. c. 15. Si concupiſcentia qualitas eſſet poſitiva, poſitivam cauſam habere deberet. At non habet: Satanas enim non poteſt eſſe cauſa efficiens qualitatis ſpiritualis, nec Adam per actum peccandi efficere potuit in ſe qualitatem, quæ perpetuo hæreret.* Reſpondet *Auguſtinus*, peccatum non habere cauſam efficientem proprie dictam, ſed potius deficientem. Hanc reſponſionem illuſtraturus *B. Carpzovius Iſagog. in Libb. Symbb. p. m. 498.* *Peccatum*, ait, *vel ABSTRACTIVE conſideratur extra ſuum ſubjectum & ratione malitiæ ſuæ; vel CONCRETIVE cum ſubjecto, quod eſt vel inclinatio vel actio mala, cui ineſt malitia: ſicut etiam communiter peccatum ita ſolet deſcribi, quod ſit inclinatio vel actio pugnans cum lege Dei &c. Priori modo ſi conſideretur, peccatum cauſam efficientem proprie habere*

bere non poteſt; quatenus vero poſteriori modo conſideratur, recte eidem efficientia tribuitur, quia tunc, non ut privatio, & ut virtuti privative opponitur, ipſaque malitia eſt, conſideratur, ſed ut eſt contrarium virtuti & habitus vitioſus atque inclinatio vel actio mala eſt, &c. Et pagina ſequenti dicit: *Quando de peccati cauſa quæritur, non ad ipſum materiale reſpicitur, cujus in ſe ſpectati cauſa Deus omnino eſt, ſed ad formale, vel ad actum non quatenus actus eſt, ſed quatenus corruptus eſt, & malitia determinatus.* Hæc ille. Sane Diabolus non ſolum amiſſionis juſtitiæ originalis ut peſſimus peccati perſvaſor primorum parentum, verum etiam corruptionis in omnibus animæ facultatibus, quæ amiſſionem Imaginis divinæ ſecuta eſt, cauſa dici poteſt. Imo & homo, quia Diabolo plus quam Deo obedivit: Deus enim dixit: non comede; Diabolus: comede; Deum reliquit, Diabolum ſecutus pro libertate ſuæ voluntatis, qua creatus fuerat, ut poſſet Diabolo reſiſtere & non comedere.

CONTROVERSIA XVII.

Peccatum originis non eſt ſubſtantia hominis, habet tamen ſedem ſuam non tantum in anima, verum etiam in corpore & membris corporeis, ſic ut totus homo quoad animam & corpus eo infectus ſit & intime ac profundiſſime corruptus.

§. 1.

Primum membrum theſeos ſuperiori ſeculo ventilatum fuit inter *Matth. Flacium*, alioquin virum doctiſſimum,

in antiquitate Eccleſiaſtica verſatiſſimum, deque ea optime meritum, ac orthodoxæ doctrinæ in cæteris contra Papiſtas, Interimiſtas & Sacramentarios Defenſorem acerrimum, qui ſuos tum temporis admiratione donorum ac meritorum ad ſe traxerat, quod encomium B. *Carpzovius Iſagog. p. m. 1160.* ei tribuit: & *Victorinum Strigelium;* Hic ut Synergiſta non ſatis æſtimans corruptionem nativam ſive peccatum originis, plus juſto viribus hominis in ſpiritualibus tribuebat; *Flacius* vero huic ſententiæ ſeſe acerrime opponebat: Hinc *Strigelius* magis Sophiſtam quam cordatum agens Diſputatorem, videns ſeſe a Flacio ad ſilentium jam redactum, mutabat ſtatum quæſtionis, inque fervore Diſputationis *Flacius* negabat, peccatum eſſe accidens: quippe *Strigelius* accidentis prædicabilis definitionem dederat, quod non poſſit corrumpere ſubſtantiam; cum vero contra hanc definitionem Flacius nihil haberet, quod exciperet, inepte ad alterum extremum dilapſus aſſeruit, non eſſe accidens, ſed ſubſtantiam hominis. Argumentum Strigelii erat: *Accidens eſt, quod adeſt & abeſt præter ſubjecti corruptionem. Peccatum eſt accidens. Ergo adeſt & abeſt præter ſubjecti corruptionem.* Flacius negabat Minorem, cum potius Syllogismus vitii quatuor terminorum accuſandus vel Major limitanda fuiſſet: Accidens *prædicabile* eſt, quod adeſt, &c. Sic enim negatur Minor: Peccatum non eſt accidens prædicabile, ſed prædicamentale.

§. 2. Theſin quoad prius probo ex *Rom.* VII, 21. ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται. *Mihi malum adjacet.* Quicquid homini tantum adjacet, illud ad ſubſtantiam hominis non pertinet. Atqui P. O. &c. Ergo. Major eſt manifeſta. Minor eſt Spiritus Sancti.

§. 3. Poſterius probo ex *Rom.* VI, 12. 13. Μὴ οὖν βασιλευέτω ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θνητῷ ὑμῶν σώματι, εἰς τὸ ὑπακούειν αὐτῇ ἐν ταῖς

παῖς ἐπιθυμίας αὐτοῦ. Μηδὲ παριςάνετε τὰ μέλη ὑμῶν ὅπλα ἀδικίας τῇ ἁμαρτίᾳ. Hic paucis obſervandum, quod peccatum dicitur regnare: regnat vero peccatum in corpore ejusque membris ope & virtute animæ, in qua peccatum hæret: nam anima habet regimen corporis omniumque membrorum, quæ regit, quomodocunque voluerit; membra enim corporis ſunt quaſi animæ ſubditi vel ſubdita, quod & *Apoſtolus* hic indicat. Vnde ſic concludo: Si peccatum habitat in anima & regnat etiam in corpore, ſequitur, quod totus homo cum corpore & anima ſit ſubjectum immediatum horrendæ illius corruptionis. Prius eſt. Ergo.

§. 4. Objiciunt *Flaciani* loca, ubi natura hominis corrupta, depravata, & ubi cor hominis quaſi origo omnium peccatorum dicitur. v. gr. *Matth.* XV, 19. ἐκ γὰρ τῆς καρδίας ἐξέρχονται διαλογισμοὶ πονηροὶ, φόνοι, μοιχεῖαι, πορνεῖαι, κλοπαὶ, ψευδομαρτυρίαι, βλασφημίαι. Sed inde non ſequitur, peccatum originis eſſe ſubſtantiam hominis. Cor quidem eſt fons peccatorum, ſed non eſt ipſum peccatum.

CONTROVERSIA XVIII.

De origine animæ noſtræ non modo orthodoxe ſentiendum, ſed etiam caute ac tuto loquendum eſt, ne ullatenus peccatum originalis extenuetur, vel etiam naturalis propagatio peccati originalis per parentes facta impugnetur, vi cujus homo in peccato concipitur & naſcitur, adeo

ut quoad animam totam totumque corpus peccato originis infectus & intime ac profundissime corruptus maneat.

§. 1.

Quot & quantis difficultatibus implicita sit quæstio illa de origine animæ nostræ, noto notius est, illudque movit magni nominis ac judicii Doctores Theologos orthodoxos, ut maluerint ἐπέχειν, quam quid certi omnique simul exceptione Majoris circa modum originis animæ in homine post lapsum determinare. Sic *Augustinus*, quando Julianus, qui Pelagio adhærebat, illum hac quæstione exagitabat: *Non peccat ille, qui gignit, non peccat ille, qui gignitur, nec peccat Deus creator: per quas ergo rimas inter tot innocentiæ præsidia peccatum fingis ingressum, nisi per solam imitationem?* prudenter respondebat: *Quid quæris latentem rimam, cum habeas apertissimam januam: per unum hominem peccatum intravit in mundum, non exemplo, non imitatione (ita enim per Diabolum intravit) sed sicut maribus Scriptura tribuit generationem; ita per unum hominem intravit peccatum: ergo propagatione carnali a parentibus in posteris traducitur, trajicitur, transmittitur, transit, &c.* Sed quilibet videt, *Augustinum* his verbis tantum τὸ ὅτι indicasse. Pelagius vero his non contentus voluit, ut Augustinus τὸ πῶς indicaret; tunc *Augustinus: Disputatio hæc est res quæstionis, non hæresis, sine periculo fidei potest in quamcunque partem disputari.* Sic quoque B. *Lutherus* nemini suam, quam privatim apud se tenebat, obtrudere volebat sententiam. Hos secutus B. *Chemnitius* scripsit: *LL. CC. cap. de P. O. p. m. 236. b. Satis sit de causa efficiente scire, primos parentes lapsu suo meritos esse, ut quales ipsi*

erant

erant post lapsum & corpore & anima, tales procrearentur omnes posteri. Quomodo autem malum illud contrahat anima, salva fide potest ignorari. Quia Spiritus Sanctus non voluit hoc certis & perspicuis Scripturæ testimoniis patefacere.

§. 2. Qui animam immediate a Deo creari dicunt, argumentantur: Substantia corporea incorpoream substantiam nempe animam gignere nequit. Sed homo est substantia corporea. Ergo. Respondent alii traducem defendentes, distingvendo Majorem: Substantia corporea incorpoream gignere nequit, *absque peculiari mandato divino*. Sic conceditur Major cum toto argumento. Limitationis ratio probatur, quia homo habet peculiare DEI mandatum, ut per feminis propagationem crescat & multiplicetur, *Genes.* I, 28. Deinde circa Minorem monent, non absolute esse veram, quia non totus homo ex anima & corpore constans sit materialis, sed tantum quoad corpus. Vrgent quoque locum *Eccles.* XII, 7. וְהָרוּחַ תָּשׁוּב אֶל־הָאֱלֹהִים אֲשֶׁר נְתָנָהּ ubi spiritus hominis dicitur reverti ad Deum, qui dedit eum. Quem tamen sufficere ad probandam animæ creationem, quæ hodie fiat, alii haud immerito negant. Licet enim Ecclesiastes dicat, Deum dedisse spiritum: modum tamen, quo dedit, non exprimit. Imo B. *Lutherus* aliique magni nominis interpretes censent, respicere Salomonem ad primam hominis creationem, & ad locum *Genes.* II, 7. ut sensus sit: *qui dedit eum*, scilicet per inspirationem sive insufflationem, cum primum hominem crearet: sicut & tunc e pulvere terræ hominis corpus formatum fuit, quod propterea pulvis hic vocatur & e terra fuisse dicitur. Prius igitur creatio animarum hodierna aliunde probanda erit, quam hic locus urgeri possit.

§. 3. Pro propagationis animæ per traducem sententia in-

inprimis urgetur sequens argumentum: *Id quod extra humanam animam, & sine ea esse in corpore non potest, eo propagato ipsam etiam animam propagari necesse est, tuncque generatur totus a toto. Atqui Imago hominis peccato depravati extra humanam animam, & sine ea, esse in corpore nere potest. Ergo Imagine hominis peccato depravati propagata, ipsam etiam animam propagari necesse est, & tunc generatur totus a toto.* Major & Minor probatur, quia liberi dicuntur generari ad similitudinem & Imaginem parentum *Genes.* V, 3. nempe caro de carne *Ioh.* III, 6. h. e. peccatores de peccatoribus, imo etiam concipi in peccatis, *Psal.* LI, 7. Constat autem Imaginem illam non esse in solo corpore, sed inprimis etiam in anima h. e. in tota: quam proinde totam peccato miserrime infectam fateri oportet. vid. *B. Menzerus in Dispp. Giess. Tom. VI. Disp. XIX. p. 391.* Respondet *Martinius* in suo Tract. quem vocat *Menzerum Antinutherumenum p. 416. Totus homo generatur a toto homine, tum quatenus generationis terminus & finis est integra natura humana: tum quatenus non nascitur & in lucem prodit, secundum ordinem a Deo sancitum, nisi jam constans ex corpore & anima rationali, & hoc sufficit, ut dicatur homo sibi simile gignere secundum speciem, &c.* Sed iterum respondet B. *Menzerus c. l. p. 393. Homo generat hominem in conjunctione maris & fœminæ juxta constitutionem ipsius Dei, neque fit generatio nisi in conceptione.* Quibus verbis omnes exceptiones Martinii, quas de dispositione seminis ad receptionem in dicto tractatu proposuit, prosterni credit.

§. 4. Porro hanc sententiam defendentes dicunt: Si Deus creat animas, aut creat puras, aut impuras, aut non puras: Si illud, in Adamo non peccarunt, suntque sine omni labe originali: Si istud, Deus erit causa peccati & impuritatis damnabilis, quod de Deo blasphemum cogitare, nedum asserere:

rere: Si hoc, anima erit ſine Imagine DEI: At hæc carentia Imaginis eſt pars peccati originalis, cujus cauſa non poteſt referri in animam ipſam. Si enim non fuit in & ab Adamo, Adamus eam inquinare non potuit, ipſique lapſus illius nocere nequit. Culpa igitur iterum redundaret in Deum. vid. *B. D. Scherzeri Brevic.* §. *LXXXIII. p. 110. ſeq.* Cum ex his verbis pateat, modum requiri, quomodo absque blasphemia creatio animæ DEO adſcribi poſſit? *Martinius* oſtendit, quod animæ corporibus conjungantur, ut ſint inquinatæ labe originali *c. l. p. 44. ſeq.* ſequentibus verbis: *In Adamo & Eva totum genus humanum deſcivit a Deo, ut omnibus naturalibus poſteris ea defectio merito imputetur, eo ipſo, quod ſecundum carnem ex eis naſcuntur, & ex ipſorum ſanguine corpora habent, quibus Deus ex lege naturæ a ſe conſtitutæ animas addit, easque una merito reas habet, quatenus ſunt partes illorum compoſitorum, quæ filii vel filiæ Adami primi dicuntur, & ſic juſto Dei judicio relinquuntur animæ, ut originali juſtitia non exornentur: hinc ex defectione & cum ea eſt naturæ corruptio, & ad peccandum propenſio, quam omnes in nobis experimur.*

§. 5. Quando mihi non licet eſſe prolixiori, ad inſtituti mei rationem ſufficit dixiſſe, neminem niſi in Pelagii caſtra tranſeuntem, peccati originalis propagationem per naturalem generationem inficias ire: Quod autem propagato accidente neceſſario propagetur etiam ſubjectum, ſupra omnem dubitandi licentiam poſitum eſt. Jam quia accidentis, nempe peccati originalis, propagationem Scriptura Sacra Canonica *Pſal.* LI, 7. הֵן־בְּעָוֹן חוֹלָלְתִּי וּבְחֵטְא יֶחֱמַתְנִי אִמִּי clarisſimis verbis aſſerit: Conf. *Rom.* V, 12. experiendo diſcent ac dudum forte didicere rigidi creationis hodiernæ animarum defenſores, quos manes ſententia iſta patiatur.

O CON-

CONTROVERSIA XIX.

In Infantibus dantur pravi motus, & propterea peccata actualia.

§. 1.

Non quæritur, an in Infantibus adhuc in utero materno hærentibus dentur motus pravi vel peccata actualia, quamvis & hoc Noſtrates (aliis ventilationem hujus quæſtionis declinantibus) orthodoxe concedant, quia juxta regulas a *B. Luthero* & *B. Chemnitio* in hac re uſitatas (1) *Malum originale non eſt res otioſa.* (2) *Semper in malo originali ſimul ſunt actualia peccata.* vid. *Chemnit. LL. CC. cap. de Pecc. Act. p. m. 257.* Infantes vero jam in alvo materna in peccatis concipiuntur, juxta *Pſal.* LI, 7. Si autem jam in utero materno in Infantibus adeſt P. O. uti certe adeſt juxta *c. l.*, etiam pravi adſunt motus, quia P. O. non eſt otioſum, ſed eſt quaſi ſcaturigo nunquam quieſcens, ſemper ebulliens. Quæritur vero inprimis de actibus malis poſt nativitatem in tenerrima infantia: Si nomine peccati actualis intelligimus quosvis actus ἀνόμους, etiam eos, qui non ſunt conjuncti cum rationis pleno uſu, negare utique non licet, quin Infantes rei ſint peccatorum actualium. Vrgemus Scripturæ Sacræ dicta *Geneſ.* VI, 5. *Pſal.* LIIX, 4. Abalienati ſunt impii מֵרֶחֶם *a vulva*, errarunt מִבֶּטֶן *ab utero. Eſa.* XLIIX, 8. *Rom.* V, 14. quæ loca evidenter evincunt, Infantes non poſſe jure ullo eximi ab omnibus actibus ἀνόμοις. Vnde Theologi diſtingvere ſolent inter peccata προαιρετικὰ & ἀπροαίρετα: priori modo tantum adultis competunt peccata actualia, poſteriori vero modo etiam Infantibus.

§. 2. Circa vocabulum *motus* obſervandum, quod motus a Scholaſticis varie diſtingvantur: dantur enim *motus* vel

pri-

primi vel *secundi:* Primi sunt vel *primo-primi* vel *secundo-primi*. *Primo-primi* sunt, quando absque delectatione sive assensu pleno ad peccandum inclinamus, suntque suggestiones cogitationum & affectuum, i. e. quando depravatio movet se aliqua inclinatione. *Secundo-primi* sunt, quando delectantur homines rebus prohibitis, ut voluptatem inde capiant, quamvis nondum voluntas in actum prorumpat. Vno nomine dicuntur, *delectatio*. *Secundi motus* sunt, quando non solum inclinationem & delectationem persentiscunt homines, verum etiam plenum assensum præbent, quem plenum assensum sequitur deinde effectus, ante effectum vero voluntas seu assensus habetur pro facto, & est peccatum mortale in se spectatum, uti etiam effectus. Hi secundi motus uno nomine dicuntur *consensus*. Jam applico: Infantes dicuntur habere motus non secundos, sed primos, & ratione ætatis primo-primos & secundo-primos. Hi motus autem quoniam originem habent ex peccato originali, quod est fomes sive depravatio inhærens, quæ complectitur etiam defectum, dicuntur fructus peccati originis ejusque effectus.

§. 3. Quod ad vocabulum actuale attinet, non loquor hic de peccato originis, quod & quidam Nostratium in posteris Adami vocarunt peccatum actuale; quod autem Nostrates hodie per actuosum interpretantur & operosum. Nam actuale peccatum dicitur dupliciter, vel *causaliter & effective*, vel *formaliter & in sese*. Priori modo actuale idem est ac actuosum, activum & operosum: posteriori vero modo actus est contradistinctus suo habitui, ex quo fluit. Priori modo B. *Lutherus* & alii P.O. vocarunt actuale, non posteriori.

§. 4. Thesin meam: in Infantibus dari pravos motus & consequenter peccata actualia; probo ex *Genes.* VI, 5.

כָּל־יֵצֶר מַחְשְׁבֹת לִבּוֹ רַק רַע כָּל־הַיּוֹם׃ Si imaginatio cogitationum cordis tantummodo malum quid omni die, sequitur etiam in Infantia. Prius est. Ergo. Major est manifesta, nam & Infantia suos habet dies, hic autem dicitur; cogitationes & imaginationes cogitationum esse malum quoddam omni die. Et annon homo, quando incipit in utero materno homo fieri, jam suos habet dies? Ergo etiam Infantes adhuc in utero materno hærentes habent peccata actualia, quidni post exclusionem?

§. 5. Objicitur, præter dicta Scripturæ, quæ jam supra *Controvers. XVI.* §. *3.* vidimus, in quibus communiter politice Infantes innocentes dicuntur, non vero Theologice, hoc argumentum: Quicunque carent voluntate & intellectu, non possunt peccata actualia committere, nam omnis actus requirit intellectum & voluntatem, intellectum, qui objecta voluntati proponat, voluntatem, quæ hoc illudve eligat. Sed Infantes carent &c. Ergo. Respondetur, negando Majorem. Do instantiam: Si Infantes absque voluntate & intellectu possunt credere & bonum opus agere, possunt etiam peccare & malum opus agere. Prius est juxta diserta verba Christi *Matth.* XIIX, 6. *Marc.* IX, 42. Certe sedes peccati originis semper operosi & nunquam quiescentis, ipsumque P. O. adest. Deinde etiamsi actus illi non prorumpant in actus externos, tamen non negandi sunt actus interni. Denique distingvendum inter peccata actualia proæretica & aproæreta: illa Infantibus non adscribimus, hæc autem omnino.

*

DISPUTATIO V.

CONTROVERSIA XX.

In Christo datur una persona, duæ vero naturæ, divina & humana: hæc, carens propria hypostasi, assumpta est in hypostasin τοῦ λόγου, & propter hanc unionem personalem, in qua λόγος nunquam est extra carnem, etiam divina natura omniaque idiomata divina communicantur humanæ naturæ: In illa communicatione (nempe naturarum) veritas prædicationum personalium, quæ neque synonymice, neque paronymice accurate loquendo, neque tropice, sed inusitate de se invicem dicuntur: In hac veritas prædicationum ad tria communicationis idioma-

tum genera ſpectantium fundatur: Idiomata autem communicantur, non verbaliter, ſed realiter, ſi que recte dicimus, humanæ naturæ per & propter unionem perſonalem competere Majeſtatem divinam, item omnipotentiam, omniſcientiam, omnipræſentiam &c. Hæ duæ naturæ in actionibus mediatoriis, ita ut quælibet, quod ſuum eſt, faciat, concurrunt.

§. 1.

Circa hanc theſin, quot verbis concipitur, tot ferme repe-riuntur contradicentes & oppoſitiones; ut enim jam non allegem errores *Neſtorii*, cum quo nunc diſputare mihi nec animus eſt, nec propoſitum permittit, duas in Chriſto perſonas ſtatuentis, quem errorem etiam *Calvino-Reformati* velint nolint, negando communicationem idiomatum, graviſime errant. Nam nec *Neſtoriani* abſolute dixerunt, Chriſtum conſtare ex duabus perſonis, cum contra hanc ſententiam *Neſtorius* ipſe pugnet: *Erat quidem*, inquiens, *Deus verbum & ante inhumanationem Filius & Deus, & Ens cum Patre. Suſcepit vero in ultimis diebus ſervi formam, ſed ante hoc Filius conſtitutus & vocatus. Poſt ſuſceptionem non poteſt vocari ſeparatus Filius;* NB. *ut ne duos Filios doceamus.* vid. *Tom. I. Concil. p. 817.* Et ad Anathematismum reſpon-

ſpondit idem *Neſtorius: Si quis non ſecundum conjunctionem VNVM dixerit Chriſtum, qui eſt etiam Immanuel, ſed ſecundum naturam ex utraque etiam ſubſtantia, tam DEI VERBI, quam etiam ab eo HOMINIS SVSCEPTI, in VNAM Filii connexionem, quam etiam nunc inconfuse ſervamus, minime confiteatur, anathema ſit.* vid. eund. *Tom. I. pag. 821.* Vnde quilibet videt, *Neſtorium* non abſolute negaſſe unitatem perſonæ, ſed potius defendiſſe, uti videtur, duas naturas in una perſona. Ideo autem hujus ſupra dicti erroris Dd. tum temporis illum arguebant, quia negavit communicationem idiomatum realem. Mariam enim virginem non θεοτόκον ſed ἀνθρωποτόκον vel χριστοτόκον appellandam eſſe docuit, dixitque: *Ego bimeſtrem vel trimeſtrem non confiteor Deum.* item: *Noli gloriare Judæe, non Deum ſed hominem crucifixiſti.* vid. *Scriptt. H. E.* & ex iis *Evagrium H. E. L. I. cap. VII. Hiſt. Tripart. Lib. XII. cap. IV. & V. Tom. I. Concil. p. 534.* Et ſic conſequenter tantum *Neſtorius* hujus erroris accuſatus eſt. Quid autem aliud moderni faciunt *Calvino-Reformati,* expreſſe negantes, communicationem idiomatum divinæ naturæ factam eſſe humanæ naturæ, nempe eo ſenſu, quo nos communicationem idiomatum intelligimus. vid. *Wendelin. Theol. Chriſt. L. I. c. XVI. p. m. 306. ſeqq.* Ergo rei ſunt erroris Neſtorii.

§. 2. *Sociniani* quidem concedunt, Chriſtum eſſe unam perſonam, ſed hanc perſonam tantum una, ſcilicet humana, conſtare natura, docent. Sic diſerte *Catechismus Racovienſis* ad quæſtionem: *Quænam ſint, quæ ad perſonam Chriſti referantur?* reſpondet: *Id ſolum quod natura ſit homo verus. Cap. 1. de Cognit. Chriſti. Qv. 2. & 4.* quando quæritur: *An idem habeat naturam divinam?* reſpondet: *Nequaquam, cum id rationi ſanæ ac divinis literis repugnet.* Quod vero hæc ſententia Socinianorum cum Scriptura Sacra pugnet, jam ſupra vidimus.

§. 3. Con-

§. 3. Contra *Calvinianos* notandum, quando in thesi dixi, humanam Christi naturam assumptam esse in hypostasin τοῦ λόγου, sive divinam naturam humanæ communicasse suam hypostasin, *Wendelinus* cum suis assectis hanc sententiam ceu minus accuratam in sua *Theolog. Christ. l. c. p. m. 317.* rejicit, ita scribens: *Observandum: Minus accurate dici humanam Christi naturam subsistere: Etenim subsistere proprium est personæ, quæ a subsistendo dicitur ὑπόστασις sive substantia: non naturæ, a persona realiter distinctæ: Rectius dicitur sustentari ἐνυποστάτως, seu personaliter.* Nostrates e contrario docent, Filium DEI assumptam humanam naturam non sibi adjunxisse qualitercunque & citra constitutionem unius ὑφιστάμενου: nec duas in Christo naturas, humanam divinamque, unitas ad unum ὑφιστάμενον hoc modo esse, ut humana nihil sit, nisi sustentationem a λόγῳ accipiat, ne in nihilum redigatur: nec λόγον solum in humanitatem assumptam influere, ut hæc per appropriationem in eo subsistat, sicuti surculus in arbore; sed humanæ naturæ assumptæ suam hypostasin vere ac satis accurate loquendo communicasse, non quidem κατὰ μέτεξιν sive effundendo in carnem, sed κατὰ συνδύασιν, carnem sibi personaliter uniendo & in suam hypostasin assumendo efficiendoque, ut cum propria hypostasi & personalitate careret caro, & tamen aliqua necessario indigeret, ipsius Filii DEI hypostasi ac personalitate subsisteret, quippe communicata ad communem possessionem, usurpationem & denominationem. vid. supra laudati Magnif. Dn. D. *Waltheri Colleg. MS. in B. Calov. Synopsin Controv. L. de Christo Sect. I. th. III. Not. 5. ἔκθεσ.* Adde *B. Scherzeri Breviar. Hulsem. auctum p. 385. lit. (γ)*

§. 4. Orthodoxi dicunt reciproce per unionem personalem esse τὸν λόγον in carne, non extra; & carnem in τῷ λόγῳ, non extra. *Calviniani* vero affirmant *unum & eun-*

dem

dem λόγον esse in carne, & extra carnem. Inprimis hoc defendit *Matth. Martinius in Tract. de persona Christi contra Vbiquitarios &c. p. 770. seq.* Nec est, quod dicatur, ex eo, quod duæ res sint indistanter unitæ, tum demum sequi, quod ubivis unam naturam alteri coadesse oporteat, si duæ res non ἀχωρίστως tantum & indistanter, sed & adæquate & totaliter unitæ invicem sint, quemadmodum in homine intellectus & voluntas, in bove materia & forma bovis, in charta albedo & superficies chartæ uniantur. In his enim fatendum perire unionem, nisi unita in iisdem locis coexstiterint; sed de unione personali disparem rationem esse, quæ nec in exæquatione naturarum sita sit, quod *Eutyches* volebat, sed in terminatione hypostatica. Vnde nec divinæ naturæ, licet humanitati tota sit unita, indivisa maneat unio, modo aliquod πού detur, in quo unita coexistat. Id quod exemplo animæ rationalis pateat, quæ tota unitur capiti, eademque toti pedi uniatur, hinc minime sequatur, pedem esse ibi, ubi caput est, nec propterea unionem animæ cum capite solvi, licet alicubi anima sit, ubi non sit caput, cum spiritus ubicunque est, ibi totus sit, similiterque Deus O. M. nobiscum e. gr. in hoc Auditorio indistanter & immediate uniatur, nec solvatur hæc unio, licet idem Deus alicubi sit v. gr. Romæ aut Constantinopoli, ubi nos non sumus. Parem rationem hic esse: Indistanter unitas divinam & humanam naturas manere, licet alicubi divina natura sit, ubi humana non est. Verum asserenti λόγον posse alicubi esse, ubi humana natura non sit, *primo* respondeo: Hypostatice uniri & esse extra unitum, nequeunt simul consistere, quia unio hypostatica ab *Apostolo* definitur per inhabitationem τοῦ λόγου in carne tanquam proprio templo. Et inde patet, τὸν λόγον vi unionis personalis esse in carne personaliter, quo modo non dicitur esse in ulla alia creatura. *Deinde:* Caput & pedes non

ſunt unum quid per ſe: ſed ſunt diſtincta unius corporis membra: extra quod corpus non ſunt, aut membra ejus deſinunt. *Denique:* Deus eſt in creaturis & eſt extra eas: nimirum quia non eſt unum quid cum eis, ſed plus quam toto genere ab illis differt; ὁ λόγος autem & aſſumpta natura ſunt unum ὑφιστάμενον. Manifeſta igitur eſt exemplorum iſtorum disparitas.

§. 5. Dixi in theſi, propter unionem perſonalem, naturam divinam humanæ communicatam dici, ſicque idiomata divinæ naturæ eſſe communicata humanæ. Vbi autem bene diſtingvendum inter idiomata *operativa* & *quieſcentia:* illa in caſu recto, hæc in caſu obliquo de humana Chriſti natura prædicantur. Certe *a Communicatione ad prædicationem N. V. C.* vel: *a negatione prædicationis ad negationem communicationis non licet argumentari.* E. gr. Ferro ignito non tantum ignis ejusque calor communicatus eſt, verum etiam ignis levitas; ſed inde non ſequitur, quod de ferro ignito levitatem quoque prædicare posſim, ac dicere ſalva veritate: ferrum eſt leve, utut levitas una cum igne ferro ſit communicata. His contradicit *Wendelinus l. c. p. m. 309.* Verba ejus brevitatis cauſa omitto, quæ, ſi legantur hac diſtinctione adhibita, ſua ſponte corruunt. Add. omnino *Ioh. Schröderi Sceptrum Regale Chriſti p. m. 22.*

§. 6. Circa propoſitiones perſonales *Calviniani* ipſi inter ſe invicem non conveniunt: quidam enim eas habent pro Synonymicis, ut *Keckermannus in Syſtem. Theol. p. 319. Piſcator ad Elench. Buſch. cap. 14.* Ille dicit: *prædicari ibi ſpeciem infimam de individuo extraordinario.* Hic: *prædicari genus de ſpecie. Goclenius* dicit *eſſe tropicas. Beza vol. 1. fol. 658. in Qv. & Reſp.* dicit κατ' ἄλλο eſſe accipiendas. Has vero ſententias vide ſatis refutatas apud B. D. *Eckhard. in Faſc. Controverſ. cum Calvin. cap. V. p. m. 83. ſeqq.* Quod autem communicatio-

tionem idiomatum verbalem tantum ſtatuant *Calviniani*, notum eſt, unde etiam *Zwinglius* ſuam ſibi a ſpiritu nigro, ut ipſe faſſus eſt, inſpiratam ἀλλοίωσιν induxit: hanc vero larvam Diaboli maxime fugiendam eſſe, B. *Lutherum* jam tum ſuo tempore docuiſſe, omnibus conſtat. Et ideo aperte negant, humanæ Chriſti naturæ propter unionem perſonalem competere Majeſtatem divinam infinitam. Vnde *Bucanus in Inſtit. p. 25. Error eſt Vbiquitariorum, qui humanitati Chriſti tribuunt eſſentialia Deitatis idiomata, parum memores illius: tollens proprietates, tollit naturam, &c.* Sed nondum ab iis probatum eſt, Noſtrates ullius naturæ tollere proprietates, qui etiamnum docent, quamlibet naturam ſuas retinere proprietates, utut proprietates divinæ naturæ humanæ naturæ communicentur. Igitur patet, quod de negando majeſtatem divinam infinitam, etiam humanæ naturæ in unione perſonali ſpectatæ denegent omnipotentiam, omniſcientiam & omnipræſentiam. De omnipotentia inquit *Piſcator Vol. 2. Diſp. p. 41. Sicut blaſpheme dicitur: Divinitas eſt paſſa; ita non minus blaſpheme dicitur: humanitas Chriſti eſt omnipotens.* Sed quicquid Scriptura ipſa aſſerit, uti mox probabo, non blaſpheme dicitur, quia humanitas Chriſti ſpectatur, quatenus per communicationis gratiam hanc omnipotentiam habet. Vid. hac de re prolixius diſputantem *Wendelinum l. c. p. m. 307. ſeqq.* ubi abſurditatis Noſtrates, ſtatuentes humanam naturam eſſe omnipotentem & omnipræſentem, accuſat. De omnipræſentia *Sadeel Tom. 2. p. 186.* ita judicat: *Perperam dicitur: Chriſtus ſecundum humanam naturam eſt omniſcius.* Omnipræſentiam Chriſto denegant, quoad humanam naturam, quia non eſt immenſus, ceu ſupra indicavi *Controverſ. X.* Idem faciunt *Sociniani*, ut facile ex eo, quod negant divinitatem Chriſti, cognoſcere datur. Si namque divinitatem negant, certe nec attributa divina admittent. conf. *Solid. Declarat. F. C. art. IIX. p. 783. p. 387. N. IV.*

§. 7. Denique dixi, duas naturas in Christo in actionibus mediatoriis, ut tamen quælibet, quod suum est agat, concurrere. Vbi iterum varii varias fovere sententias, quas nunc attingere omnes nec vacat, nec lubet: Ita voluit *Osiander*, Christum tantum justitiam nostram esse, h. e. pro nobis satisfeciisse secundum divinam naturam: *Stankarus* tantum secundum humanam naturam. Inprimis vero contra *Socinianos* jam disputamus, qui Christi actiones mediatorias, h. e. satisfactionem pro totius mundi peccatis strenue negant. Sic enim *Socinus P. III. c. I. de Christo Servatore: Deum & jure potuisse nobis condonare peccata nostra, nulla pro ipsis vera satisfactione accepta. Et voluisse nobis peccata nostra condonare, nulla pro ipsis vera satisfactione accepta l. c. cap. II.* Et contra *Bellarminum, qui Lib. V. de Christo cap. I. & II.* principium quod & quo personam Christi, ejusque naturas, adeoque ipsum suppositum & principium formale mediationis opponit, atque aliorum errores explicando seipsum implicat. vid. *B. Gerhard. Tom. II. Conf. Cathol. p. 448. in Exegef. p. 1515. Fewerbornius Fascic. VI. Disp. VI.*

§. 8. Βεβαίωσις: (1) Probo in Christo unam esse personam & duas naturas ex *Rom.* IX, 5. ὁ χριστὸς (en totam personam, & quidem, quia in singulari de uno supposito dicitur, unam tantum) ἐκ πατέρων τὸ κατὰ σάρκα (en humanam naturam) ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας (en prædicata tantum summo Deo propria, en divinam naturam) Quæ a Socinianis circa hoc dictum excipiuntur, supra indicavi.

§. 9. (2) Probo, humanam Christi naturam assumtam esse in hypostasin divinæ naturæ ex *Ebr.* II, 16. οὐ γὰρ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται. Quod vero per semen Abrahæ κατ' ἐξοχὴν semen illud mulieris in Paradiso promissum intelligatur, ex sacris literis cuilibet constat. Argumentor: Quicquid ideo assumitur,

tur(quia propriam ſubſiſtentiam non habet) ut ſubſiſtat aliena ſubſiſtentia, illud vere aſſumitur, & proprie loquendo illi ſubſiſtentia communicatur. Atqui humana Chriſti natura,&c. Ergo. Majorem probo: Quia Angelus apud Lucam dicit, quod concepit Maria per Spiritum Sanctum, eſſe unicum Dei Filium, *Luc.* I,35. & unum Chriſtum 1. *Cor.* IIX,6. Ergo idem eſt ille, quem concepit Maria, & qui eſt Filius Dei ſeu Chriſtus ac θεάνθρωπος. Ergo etiam una ſubſiſtentia. Nam illa identitas aut fundatur in unitate naturæ, aut in unitate hypoſtaſeos vel perſonæ. Non illud, quia eſt Eutychianum. Ergo hoc. Conſequenter ſubſiſtent duæ naturæ una ἐνυπόστατος. Minor eſt Apoſtoli. E. ſi ſemen Abrahæ jam habuiſſet ſuam ſubſiſtentiam, duæ neceſſario ſtatuendæ eſſent in Chriſto perſonæ, quod eſt contra Scripturam Sacram. Optime hac de re diſſerit *B. Dorſchæus Theol. Zachar. cap. IX. p. 258. Subſiſtentia divina humanæ naturæ communicatur, non effective tantum, & per actum quendam ſecundum nudæ ſuſtentationis. Sic enim non magis hanc, quam aliam quamvis creaturam perficit. Sed formaliter communicatur ſubſiſtentia divina illi naturæ, ita, ut revera illa ipſa, & in illa ipſa ultimum perfectionis ſubſtantialis terminum habeat. Et habet humana natura ipſum illum æternum, purisſimum atque ſimplicisſimum actum, infinitæ τοῦ λόγου ſubſiſtentiæ. Hoc enim facit unitatem perſonalem; ſi unus ſit actus ſubſiſtendi naturæ, ſive uni, ſive duabus formaliter competens.* Adde *Diſpp. Gieſſ. Tom. VI. Diſp. XV. th. XI. p. 227.*

§. 10. (3) Probo λόγον non eſſe extra carnem, & quod humanæ naturæ communicata ſint omnia idiomata divinæ naturæ ex *Coloſſ.* II, 9. ὅτι ἐν αὐτῷ (ſcil. χριστῷ *verſ.* 8.) κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς. Circa vocabulum σωματικῶς obſervandum, quod non corporali modo, ſed perſonaliter in proprio ſuo corpore ac templo plenitudo Dei-

tatis vel Divinitatis & in carne, in qua λόγ@ manifestatus est 1. *Tim.* III, 16. habitet. Σωματικῶς enim sæpe idem est ac σωματικῶς personaliter, quia sæpe σώματα dicuntur personæ sive homines, ut ostendunt multa exempla apud LXX. & profanos autores: Sensus igitur est: Tota plenitudo Deitatis habitat in Christo corporaliter, h. e. tanquam in proprio corpore, in proprio templo, in propria carne, (ceu jam dixi) personaliter, unione personali, in unitate personæ. Confer præsentiam Dei singularem, qua præsens erat arcæ fœderis in templo Hierosolymitano, ubi quæri, coli & invocari volebat Deus, & ibi majestatem suam exerebat, cujus figuræ complementum in Christo est. Nam ὁ λόγ@ personaliter habitat in proprio templo (corpore suo *Ioh.* II, 21.) in eo & non extra illud vult quæri, inveniri, apprehendi, coli, & in eo & per illud majestatem suam & gloriam & virtutem tanquam unigenitus a Patre exerit. Jam ita concludo: Si λόγ@ in carne σωματικῶς, h. e. tanquam in suo templo & domo, non autem inclusive & physice, sed modo supernaturali habitat, sequitur λόγον nunquam esse extra carnem. Verum est prius. Ergo. Et porro argumentor: In quocunque habitat plenitudo Deitatis, h. e. omne illud, quod in Deo est, in illo etiam est majestas divina infinita, omniaque attributa divina. Verum est prius. Ergo. In utroque argumento probatio præmissarum ex allegato loco sumitur, exque terminis constant. Adde hoc dictum accurate passim explicantem *B. Danhawerum in Hodosoph. p. m. 611. 622. 626. 635. 658. 661. 678.*

§. 11. In specie autem omnipotentiam Christi secundum humanam naturam (4) probo ex *Matth.* XXVIII, 18. ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς. Nec est, quod hic *Calviniani* excipiant, vocabulum ἐξουσία non denotare omnipotentiam divinam & essentialem, sed tantum officialem, nam hæc explicatio pugnat cum multis Scripturæ dictis, inprimis

mis cum *Ioh.* V, 27. ubi ἐξουσία non ſolum ſummum faciendi jus, ut exponit *Beza*, ſed & αὐτοκρατορικὴν, αὐθεντικὴν & κατεπαγωγικὴν δύναμιν denotat: judicium enim extremum adminiſtrare opus eſt infinitæ potentiæ omnium judicandorum coactivæ: cauſa igitur, unde iſte effectus manat (ipſa ſcil. ἐξουσία) minor & ignobilior eſſe nequit. vid. B. *Menzer.* contra *Martin.* p. 470. Et quicquid ibi de vocabulo ἐξουσία dicitur, etiam in loco *Matth.* cit. intelligendum eſt: Alias in humanis apparet differentia inter ἐξουσίαν & δύναμιν: ſæpe namque virtutes regias habet, qui ſervit: & contra ea jus belli habet, cui deeſt facultas: at in Deo nunquam eſt ἐξουσία ſine δυνάμει, nunquam jus inerme: ſed illa hujus actus eſt, & nunc poſt exaltationem (cui vicinus Chriſtus hæc noſtra verba theſin probantia dixit: *mihi data eſt* πᾶσα ἐξουσία *omnis poteſtas*) plenisſimus continuus ac liberrimus uſus. conf. omnino *Pareus* in *Matth.* XXIIX, 18. cui præ aliis adde *Schröderi Sceptrum Regale Chriſti p. m. 205.* Deinde advertenda hic ſunt non alia quam divinæ immenſæ poteſtatis clariſſima argumenta (1) deſignatio τοῦ πᾶσα, quæ vox quia majeſtatem Regis noſtri exprimit, nullam capit limitationem. (2) σφενδόνη cœli & terræ, quæ non minuit, ſed ampliat & majeſtatem hanc ſupra omnes creaturarum vires extollit *Geneſ.* XIV, 22. *Matth.* XI, 27. *Luc.* X, 22. *Act.* XVII, 24. (3) Fundatio Miniſterii & Sacramentorum, quæ eſt ab hac poteſtate. Figmentum Calvinianorum de mediatoria poteſtate, mare abſurditatum vocat & probat B. *Menzerus Diſp. X. contra Crocii Apol. theſ. 115.* Sane incarnatione non fuiſſet opus, ſi mediatorium officium expleri potuiſſet a poteſtate non infinita. Verba noſtri dicti cum ſint clara & jam paucis explicata, non opus eſt illatione, quam quilibet facile ita formare poteſt: Cuicunque data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, ille eſt omnipotens. Chriſto ſecundum humanam natu-

naturam &c. Ergo. vid. totam de h. l. *diſp. Menzer. in Diſpp. Gieſſ. Diſp.* VIII. *Tom.* V.

§. 12. Omniſcientiam Chriſti (5) probo ex *Coloſſ.* II, 3. ἐν ᾧ (ſcil. χριστῷ *verſ.* 2.) εἰσι πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι. *Apoſtolus* hanc totam plenitudinem ſcientiæ & ſapientiæ divinæ (ſive divitias ſapientiæ & cognitionis ut *Rom.* XI, 33.) θησαυρὸς τῆς σοφίας &c. theſauros in Chriſto abſconditos dicit, non tantum quia mundo ſtultitia, & nobis, qui ex parte cognoſcimus, abſonditi ſunt: ſed quia inſtar theſauri in humana Chriſti natura diligenter ac pretiose aſſervantur, tanquam in ſacrario quodam ſeu templo, ut non poſſint inde auferri, ſed in hoc gazophylacio maneant perpetuo. Unde ſic concludo: In quocunque theſauri ſapientiæ, ſcientiæ & cognitionis (h. e. tota plenitudo ſcientiæ divinæ) abſconditi ſunt, ille eſt omniſcius. Atqui in Chriſto ſecundum H. N. &c. Ergo.

§. 13. Omnipræſentiam (6) probo ex *Matth. XXVIII*, 20. ἰδοὺ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. Ecce ego (Chriſtus ſecundum humanam naturam ſpectatus, namque ſecundum divinam naturam Chriſto nihil dari potuit, quia ab æterno fuit DEVS perfectiſſimus) *quique nunc miſi miniſtros ad docendum & baptizandum verſ.* 19.) ſum, (*ſecundum eandem naturam, ſecundum quam mihi data eſt poteſtas,*) vobiscum (*ubicunque in hoc mundo futuri eſtis*) omnibus diebus. Unde ſic argumentor: Quic: omnibus diebus ubivis, usque ad conſummationem ſeculi, ſuis miniſtris adeſt, ille eſt omnipræſens. Atqui Chriſtus ſecundum H. N. &c. Ergo.

§. 14. Denique (7) probo in actionibus mediatoriis duas in Chriſto naturas concurriſſe ex *Act. XX*, 28. ὁ θεὸς τὴν ἐκκλησίαν περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος. Nomen θεὸς hic non ſumitur eſſentialiter, ſed perſonaliter pro ſecunda SS. Tri-

SS. Trinitatis persona Filio Dei ab æterno genito, qui vere sangvinem habet, quatenus spectatur, ut constans ex duabus divina & humana naturis, & ideo dicitur ἴδιον αἷμα non naturali sed personali proprietate. Vnde verba hæc sic brevissime resolvi possunt: *Deus*, h. e. ipse unigenitus Dei Filius, qui in personæ suæ unitatem assumsit naturam humanam, ille ipse, inquam, Deus *proprio suo sangvine*, h. e. perfectissima sua obedientia, quæ inprimis in morte eluxit, ubi sangvinem suam in ara crucis effudit, *Ecclesiam*, i. e. cœtum per Evangelium vocatorum *acquisivit*. Jam infero: Si Deus proprio suo sangvine Ecclesiam, h. e. cœtum vocatorum acquisivit, sequitur opus mediatorium pertinere ad utramque naturam. At prius est. Ergo. Major facile probatur, quia expresse duæ naturæ ab Apostolo nominantur; vocabulo Θεὸς indicatur divina, vocabulis τοῦ ἰδίου αἵματος, humana natura. Minor est in textu. Eodem dicto contra *Socinianos* probari potest, quod Christus suo sangvine cœtum jamjam peccatis suis in æternum damnatum redemerit & pro peccatis nostris Patri satisfecerit: Quicunque proprio sangvine sibi acquirit Ecclesiam, ille Ecclesiam, hoc est, cœtum hominum jam deperditorum & æternæ pœnæ reorum iterum ab hisce pœnis liberavit, & Deo Patri pro peccatis hujus cœtus commissis satisfecit. Atqui Christus duabus constans naturis &c. Ergo. Majorem probo: quia alias non opus fuisset, Ecclesiam tam carissimo redimere & acquirere pretio, nisi per peccata in æternum apud Deum abominatio fuisset: Vt vero æquivalens Deo Patri pro execrandis peccatis etiam satisfactio præstaretur, non merus sangvis humanus, qui Deum non poterat reconciliare, juxta *Psal.* XLIX, 8. sed Dei sangvis requirebatur. Nec juvat *Socinianos* quicquam, quod pertinaciter & strenue excipiant: Sæpissime in Scriptura Sacra dici, nos Dei misericordia ac gratia salvos fieri, & nisi

hoc esset, summum & maxime misericordem Deum minus juris nobis delicta nostra condonandi, quam vilissimum Pagi Prætorem aut Magistratum infimum habiturum esse. Respondetur: In hoc omnino apparuisse gratiam & misericordiam Dei, quod Filium suum unigenitum, in quo sibi complacuit, pro nobis, cum essemus inimici, in mortem dederit, feceritque, ut is, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum esset, ut nos efficeremur justitia Dei in eo. *2. Cor. V. v. ult.* Nam meritum Christi est illud medium, quo nobis Deus gratiam suam communicavit, hæcque duo nequaquam sibi contradicunt: Gratia enim Dei & misericordia est justificationis & salutis causa προηγουμένη, meritum Christi vero causa προκαταρκτική meritoria. Nec est, quod dicatur, hoc esse illud, quod petebatur in principio, cum jam satis & sufficienter allegatum βεβαιώσεως loco dictum sententiam nostram probatam dederit, cum quo omnino conferatur *Esa.* LIII, 4. *& seqq.* Deinde misericordia justitiæ divinæ nihil præjudicabat: Deus quidem est misericors, sed est quoque justissimus *Sir.* XVI. Cum vero omnia in Deo attributa sint ipse Deus, hæc sibi ipsis contraria esse non poterant, nisi dicere velis, Deum sibi ipsi contrarium esse. Et sic justitia requirebat satisfactionem, misericordia vero & gratia DEI hoc obtulit satisfactionis medium.

§. 15. Objicit (1) contra §. 3. (nam contra §. 1. & 2. cum partim *Calviniani* theoretice hoc, quod jure Nostrates reprehendunt, negent, partim contra *Socinianos* jam supra in Controversia, quæ egit de Mysterio SS. Trinitatis, & sic etiam de Christi Deitate, egerim, nihil hic objectionis loco adducam) *Wendelinus* l. c. hoc argumentum: *Quod habet hypostasin sive propriam sive ab alio communicatam, id persona est. Atqui humana natura Christi etiam in unione personali, non est persona, sed aliquid personæ. Ergo communicatam*

vel

vel propriam hypoſtaſin non habet. Reſp. Aut intelligitur Minor de humana Chriſti natura præciſe & absque connotata hypoſtaſi τοῦ λόγου ſpectata, & ſic vera eſt Minor, ſed falſa Major; aut de humana Chriſti natura cum connotata hypoſtaſi τοῦ λόγου conſiderata accipitur Minor, & ſic ipſa Minor falſa eſt. Agnoſcunt enim ipſi *Reformati* concreta: DEVS, homo, Filius DEI, Filius hominis; notare perſonam.

§. 16. Vt probent Cálviniani, τὸν λόγον eſſe extra carnem Chriſti, objiciunt τοῦ λόγου immenſitatem, quæ carnis anguſtiis includi non poſſit. Argumentum eſt tale. Quicunque eſt immenſus, non poteſt carnis anguſtiis includi. At ὁ λόγος &c. Ergo. Reſp: Hoc eſt expreſſe contradicere Scripturæ Sacræ *Coloſſ.* II, 9. utut myſterium hoc ratio humana ſibi relicta aſſequi nequeat, inde tamen non ſequitur: Ergo eſt impoſſibile: Sed quem cœli cœlorum capere nequeunt 1. *Reg.* VIII, 27. is habitat in aſſumpta humanitate. **In unſer armes Fleiſch und Blut verkleidet ſich das ewige Gut.** Quæ inhabitatio perſonalis neque τὸν λόγον infinitum cogit in anguſtias, neque humanam naturam reddit immenſam aut infinitam. Sed Deus immenſus ille & infinitus habitat in carne ſua finita, & caro hæc finita ſubſiſtit ſubſiſtentia infinita Filii DEI. Quod myſterium omnium confeſſione maximum eſt. Nec eſt quod dicas: Si Chriſtus, cum eſſet in utero matris, non ſimul fuit in omnibus tum temporis uteris maternis, &, cum eſſet in cruce, non ſimul fuit Romæ &c. ubi tamen divina natura propter immenſitatem fuit, ſequitur quod λόγος fuerit extra carnem. Reſpondetur, conſequentiam nullam eſſe. Quæritur enim de præſentia *intima* τοῦ λόγου ad humanam naturam, & humanitatis ad τὸν λόγον, quæ ſunt inſeparabiliter unita: a qua perſonali præſentia toto genere diſtincta eſt præſentia apud alias creaturas.

§. 17. Contra communicationem idiomatum *Wendelinus* c. l. p. 306. cum aliis ſuis aſſeclis objicit: *Cui idiomata divina ſunt communicata*, i. e. Quicunque habet communicata idiomata divina, *is eſt Deus. Atqui humana Chriſti natura non eſt Deus. Ergo humanæ Chriſti naturæ idiomata divina non ſunt communicata.* i. e. H. C. N. idiomata divina non habet communicata. Limitationem Majoris: *Cui idiomata divina* &c. *eſt Deus per gratiam communicationis*, ridet *Wendelinus*, ſed rideat ſuum effugium, quod ſane nullum. Quid ſi dicamus, Majorem & Minorem eſſe veras, concluſionem vero eſſe falſam, h. e. vitium latere in forma, cum ſit ex Majore particulari in ſecunda Figura. Dices: adeſſe ſignum univerſalitatis *Quicunque*. Reſpondetur negando, ſignum *Quicunque* eſſe ſignum univerſalitatis: quando enim ſignum propoſitioni nequit in neutro genere *Quodcunque* proponi, non eſt ſignum univerſalitatis: hic vero non poſſum dicere: Quodcunque habet communicata idiomata divina &c. quia tunc propoſitio non eſt univerſaliter vera: Nam ſubſumo de humana Chriſti natura abſolute & ſine connotata hypoſtaſi τοῦ λόγου ſpectata.

§. 18. Contra omnipotentiam objicitur a *Calvinianis*, *Beza Vol. I fol. 525. Zanchio Diſp. theſ. 20. Si λόγος eſt omnipotens, & natura humana eſt omnipotens, duæ erunt naturæ omnipotentes. At Symb. Athanaſ. docet, unum eſſe omnipotentem. Ergo natura humana non eſt omnipotens.* Reſp: Vnus eſt omnipotens Deus, utut duæ naturæ Chriſti dentur, quarum quælibet eſt omnipotens una eademque omnipotentia. Vna enim eademque omnipotentia, quam habet λόγος, eſt etiam humanæ Chriſti naturæ communicata æque ac ὑπόϛασις τοῦ λόγου. Et ſic H. C. N. eſt omnipotens per gratiam communicationis propter unionem perſonalem, divina vero natura per ſe.

§. 19. Con-

§. 19. Contra omniſcientiam inprimis objicitur illud *Marc.* XIII, 32. περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης καὶ τῆς ὥρας οὐδεὶς οἶδεν, οὐδὲ οἱ ἄγγελοι οἱ ἐν οὐρανῷ, οὐδὲ ὁ υἱὸς, εἰ μὴ ὁ πατήρ. Vnde ita inferunt: Quicunque neſcit diem vel horam extremi judicii, ille non eſt omniſcius. Chriſtus neſcit &c. Ergo. Verum quid hic reſpondendum ſit, ſupra *Controverſ.* IX. §. 8. *diximus.*

§ 20. Contra omnipræſentiam inprimis Calviniani pugnant, & nil abſurdius a Noſtratibus aſſeri dicunt: Inter palmaria autem, quæ objiciunt loca, etiam eſt, qui habetur *Joh.* XVI, 28. ἀφίημι τὸν κόσμον. ubi *Beza* addit: *nemo eſt in eo loco, quem reliquit.* Reſp: Si verba, prout jacent, eſſent aſſumenda, ita ut ſignificent, Chriſtum, quocunque etiam modo intelligas, reliquiſſe mundum, ſequeretur, Chriſtum etiam ſecundum divinam naturam mundum reliquiſſe, nam loquitur de tota perſona, *ego* (utut hoc pronomen non adſit, intelligitur tamen, quia verbum eſt primæ perſonæ) h. e. tota perſona (nam poſt incarnationem, quando de ſe ipſo in ſtatu loquitur, ſemper intelligitur totus ex duabus naturis conſtans Chriſtus) *relinquo mundum.* Deinde etiam ſequeretur, Chriſtum eo tempore, quo in terris conſpiciebatur, neque Deo Patri fuiſſe præſentem, quia in textu dicitur ἐξῆλθον παρὰ τοῦ πατρός, quod nemo Calvinianorum adhuc aſſeruit. Ergo: Quemadmodum non ſequitur: Chriſtus exivit a Patre. Ergo non ſuo Patri eſt præſens; Ita non ſequitur: Chriſtus reliquit mundum. Ergo non eſt amplius præſens in mundo. Eſt fallacia ſecundum quid ad ad ſimpliciter. Reliquit Chriſtus mundum ſecundum quid, ſed non ſimpliciter & abſolute: reliquit enim mundum quoad viſibilem cum ſuis diſcipulis converſationem, non quoad ſuam præſentiam.

§. 21. Objici inter alia etiam ſequens argumentum ſolet: Quorum eadem eſt omnipræſentia divina, eorum eadem

quoque est essentia, quia harum maxima & simplicissima est identitas,ut,nisi cogitatione,separari nullo modo possint. Sed humanitatis, juxta nostram sententiam, inquiunt, & divinitatis eadem est omnipræsentia. Ergo humanitatis & divinitatis eadem quoque erit essentia. Sed limito Majorem h. m. Quorum eadem est omnipræsentia divina, *per se, per essentiam, per naturam & proprietate essentiæ*, eadem quoque &c. & sic Minor est falsissima. Nam quod humanitas Christi jam in persona τοῦ λόγου omnibus creaturis præsens adsit & dominetur, illud non ex se & naturæ suæ proprietate, sed ejusdem assumptione in hypostasin obtinet.

§. 22. *Bellarminus*,ut probet, Christum tantum secundum unam nempe humanam naturam esse mediatorem, utitur hoc argumento *Lib. V. de Christo cap. V. p. 413. Si Christus esset aliquo modo mediator secundum naturam divinam, omnes tres personæ essent mediatores. Quia natura divina omnibus est communis: Quicquid ergo secundum illam convenit uni personæ, id convenit omnibus tribus, secundum Maximam: Opera Trinitatis esse indivisa.* Resp. negando consequentiam. Ad probationem respondeo, distingvendo inter naturam sive essentiam divinam *absolute* & *relative* spectatam: natura divina hic non absolute,sed relative spectatur. Et quemadmodum non sequitur: secunda persona divinitatis incarnata est: Ergo omnes tres personæ incarnatæ sunt, quia una & eadem est in omnibus tribus personis natura; ita non sequitur: si una persona quoad divinitatem simul est mediator, igitur & duæ reliquæ. Maxima illa non est absque limitatione universaliter vera: ad incarnationem quidem concurrunt tres divinitatis personæ scil. *effective*, secunda vero persona sola *terminative*. Sic quoque ad consilium de redemptione humani generis omnes tres concurrebant divinitatis personæ, secunda autem persona sola consilium hocce expedivit.

§. 23. So-

§. 23. Sociniani, ut negent proprie dictam satisfactionem Christi, objiciunt 1. *Ioh.* III, 16. ἐν τούτῳ ἐγνώκαμεν τὴν ἀγάπην, ὅτι ἐκεῖνος ὑπὲρ ἡμῶν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἔθηκε. καὶ ἡμεῖς ὀφείλομεν ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν τὰς ψυχὰς τιθέναι. Vbi *Socinus P. II. de Christ. Serv. c. IIX.* addit: *Vbi vides, nos quoque mori pro fratribus posse. Non tamen quia pro illis divinæ justitiæ satisfaciamus; sed quia interdum morimur, dum curamus, ut aliquod longe ab isto diversum beneficium illi sentiant. Quemadmodum nos debemus pro fratribus animas ponere, ita & Christus animam suam pro nobis posuit.* Respondetur: non esse sensum comparativum in hoc dicto, nec dici: quemadmodum Christus mortuus est, ita & nos mori debere: Sed sensum hunc esse: Quia Christus mortuus est, ideo & nos debemus mori, ut nimirum Christi charitas sit archetypus nostræ. vid. *B. D. Scherzeri Colleg. Anti-Socin. p. m. 532. seq.*

CONTROVERSIA XXI.

Christus secundum utramque naturam divinam & humanam est Filius Dei naturalis.

§. 1.

Duæ sunt sententiæ eorum, qui Christum secundum humanam naturam Filium Dei naturalem esse negant: una, quæ cum *Nestorio* Christum in duos Filios: essentialem alterum, alterum adoptivum distribuunt: altera illorum, qui Christum adoptivum quoad carnem ideo statuunt, quod ex ea parte non sit Filius Dei naturalis, i. e. non sit ex natura Patris genitus, eo quod generatio sit formalis ratio, in qua naturalis filiatio fundetur. Vbi contra generatio Christi ex parte deficiat, ex ea quoque parte Christus naturalis DEI Filius non sit.

§. 2. Vtri-

§. 2. Vtrique sententiæ Nostrates contradicunt, his nixi rationibus: Quia Angelus dixit: Id, quod ex te nascitur, Filius Dei vocabitur; utique naturalis fuit: nam & Johannes ex Elisabetha natus, fuit Filius Dei adoptivus. Christus homo est id, quod ex Maria natum est. Ergo Christus homo est Filius Dei. Vt Maria Θεοτόκος propter unionem est Mater Dei naturalis; ita Deus Pater est Pater naturalis hominis. Quod argumentum ex appellatione Patris & Filii Mariæ prolixe tractat *B. D. Menzerus Antistein. 2. thes. 36. seqq.* quem post hæc verba allegata *B. D. Danhawerus Hodos. p. m. 648.* citat & *pag. 640.* inquit: *Hoc sanctum est Filius Dei, non creatione, aut adoptione (sic enim & Johannes in utero potuisset Filius Dei appellari, quia Deo plenus fuit & Filius adoptatus) sed naturalis, non tamen naturaliter, h. e. per modum æternæ generationis, sed ex gratia unionis, Matth.* III, 17. *cap.* XVI, 16. *cap.* XXVI, 64. *Joh.* V, 16. *cap.* XVII, 1. *Rom.* VIII, 32. *Fac esse Filium adoptivum*, inquit *B. Dorschæus in collat. ad Concil. Francofurt. Sect. III. cap. V. jam erunt duo Filii, unus naturalis, alter extra eum ac diversus a Filio proprio & naturali, jam esset Filius non minus Spiritus Sancti quam Patris, quia adoptio est opus ad extra.* His adde omnino B. D. *Ægid. Hunnii* verba prolixa ad *Matth.* III. *p.* 168.

§. 3. Βεβαίωσις: Locus *Luc.* I, 35. omni exceptione major est. Christus natus est ex Maria Virgine. Christus est Filius Dei. Ergo Filius Dei natus est ex Maria Virgine. Eo enim momento, quo Filius Mariæ cœpit esse, cœpit quoque, non autem demum per adoptionem, esse Filius Dei, adeoque dicendus est Filius Dei naturalis secundum divinam naturam, quia una numero est natura divina: secundum humanam vero, quia Maria hoc ipso, quod Filium genuit, Filium Dei genuit: Est quippe Filius Mariæ, Filius Dei altissimi *Matth.* XVI, 16. utut Maria eum non genuerit secundum Deitatem sive divinam naturam.

§. 4. Ob-

§. 4. Objicitur: Quicunque ſecundum quandam partem non eſt ex natura Patris genitus, ille etiam ſecundum eam partem non poteſt dici Filius Patris naturalis. Atqui Chriſtus ſecundum humanam naturam non eſt ex natura Patris genitus. E. Major probatur: quia generatio eſt formalis ratio, in qua naturalis filiatio fundatur. Reſp: negando majorem propoſitionem. Hoc ſaltem ſequitur, quod ſecundum eam partem non poſsit dici Filius naturalis, prout naturalis Filius idem eſt ac ex natura Patris genitus, quique cum Patre ejusdem eſt naturæ: Quo tamen non obſtante manet Filius naturalis Dei hoc ipſo, quod, quando Maria ipſum genuit, genuerit perſonam, quæ Deus eſt & proprius ac unigenitus Dei Filius. Eſt ergo Chriſtus ſecundum H. N. Filius Dei naturalis, non vero naturaliter.

CONTROVERSIA XXII.

Chriſtus poſt mortem ſuam vere ac realiter ad infernum deſcendit qua corpus & animam.

§. 1.

De deſcenſu Chriſti ad inferos, cujus in Symbolo expreſſa fit mentio, multæ & variæ ſemper fuerunt ſententiæ: Alii Chriſtum revera ad orcum deſcendiſſe, & ibidem ad damnatos concionem habuiſſe exiſtimant: Alii hunc deſcenſum de infernalibus doloribus exponunt, quibus Chriſtus ab inſtanti ſuæ paſſionis fuerit immerſus, præſertim cum clamaret: *Deus mi, quare me dereliquiſti?* Alii de limbo Patrum eundem accipiunt, in quo ad hæc tempora usque Patriarchæ & Prophetæ aliique Sancti ſub V. T. conſederint æternæ beatitudinis expertes, quem limbum Chriſtus hoc ſuo deſcenſu evacuaverit. Alii denique per deſcenſum Chriſti

sepulturam ejus intelligunt, adeoque hunc articulum cum præcedenti de sepultura scil. coincidere & loco ἐξηγήσεως priori additum, quin & propterea in vetustioribus Symbolis præmissum docent. Limbus ille, cujus jam facta est mentio, est purum putum Pontificiorum commentum: Ipse vero descensus ad triumphum Christi, h. e. exaltationis statum pertinet, adeoque de doloribus infernalibus nequit intelligi: Nec vero in hoc articulo a literali sensu Scripturæ Sacræ discedere & allegorias fingere licet, quasi virtute tantum suæ passionis, non revera Christus ad inferos descenderit, i. e. infernum destruxerit, quod volunt Calviniani. vid. *Zwingl. Expos. Fid. fol. 512.* Sepultura quoque Christi ad statum exinanitionis pertinet, nec Autores Symboli Apostolici articulum manifestissimum per verba obscura & impropria explicaturi fuissent: Accedit, quod Christus descenderit ad inferos secundum utramque naturam: Christus vero non est sepultus aut mortuus secundum utramque, sed secundum humanam naturam. Igitur descensus ad inferos non potest idem esse quod mors & sepultura.

§. 2. Pontificii quidem concedunt, descensum vere & realiter factum, non autem a toto Christo, sed tantum a toto Christi, h. e. docent, Christum tantum secundum animam, cum corpus adhuc jaceret in sepulchro, ad inferos ante vivificationem descendisse. vid. *Bellarm. L. IV. de Christi Anima cap. XII.* & *Suarez. Tom. 2. Comment. in 3. part. Thomæ Disp. XLIII. Sect. 2. pag. 452.* quam sententiam prolixe refutatam vide a B. D. *Fewerbornio Disput. Giess. Tom. VII. Disput. VII.* per tot.

§. 3. Christum vere ac realiter quoad corpus & animam post vivificationem descendisse ad inferos, probo ex 1. *Petr.* III, 18. Ὁ χριστὸς θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι· ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξεν. Dices: Spiritus, id est, divina natura non potest vivificari, alias seque-

queretur, quod sit mutabilis, & morti obnoxia, quod absurdum. Respondetur: Vivificari Spiritu idem est ac a Spiritu vel divina natura vivificari. Christus enim seipsum a morte excitavit & vitam resumpsit. Jam argumentor: Quicunque vere ac realiter vivificatus descendit vel profectus est ad illos, qui sunt in φυλακῇ in carcere, ille descendit, vel profectus est vere atque realiter vivificatus qua animam & corpus ad infernum. Atqui Christus ζωοποιηθεὶς vivificatus descendit ad infernum. Ergo vere ac realiter, non tantum secundum animam descendit ad inferos. Majorem probo (α) quod vere & realiter descenderit, quia hoc vocabulum πορευθεὶς infert: a litera autem absque urgente necessitate non est discedendum: Quod vero (β) ad infernum descenderit, probatur ex vocabulo Φυλακῇ, quod carcerem infernalem, uti *Matth.* V, 25. *Apoc.* XVIII, 2. *cap.* XX, 7. *Luc.* XII, 58. indicat, semperque hoc vocabulo Scriptura in malam partem utitur. conf. omnino *B. Danhawer. Hodos. p. m. 737.* (γ) secundum animam & corpus descendit, quia dicitur ζωοποιηθεὶς vivificatus descendisse: si vero vivificatus, ergo quando anima cum corpore jam redunita erat.

§. 4. Vt probetur, qvod descensus Christi ad inferos sit idem ac mors & sepultura, objiciunt qvidam Calviniani & alii, vocabulum שְׁאוֹל sæpe in Scriptura Sacra pro sepulchro accipi. Resp: concedendo, qvod sæpe ita vocabulum hoc accipiatur: sed sæpe etiam pro inferno sumitur. Qværitur igitur, qvando de descensu Christi Scriptura agit, an tunc pro sepulchro habeatur? qvod nego. Nam non seqvitur, si in uno, ergo in omnibus locis pro sepulchro accipitur.

§. 5. Vt Calviniani porro probent, descensum Christi ad inferos metaphorice accipi debere de cruciatibus animæ, objiciunt, Christum implicitum fuisse ταῖς ὠδῖνας τοῦ θανάτου *Matth.* XXVI, 38. Sed a doloribus inferni ad descensum ad inferos non licet argumentari. Et nos dicimus, Christum im-

plicitum fuisse doloribus inferni & mortis, cum adhuc in cruce penderet & clamaret: Deus mi, quare me dereliquisti? omnes inferni dolores simul, quos omnes omnino peccatores perpeti debebant, persentiscens: nec vero duratio, quæ alias sine fine in inferno esse debebat, hic doloribus Christi quicquam derogat, quia, quod durationi decedebat, infinitus personæ valor addebat.

§. 6. Pro sententia, quod Christus tantum secundum animam descenderit in infernum, urgetur a Pontificiis *Psal.* XVI, 10. כִּי לֹא־תַעֲזֹב נַפְשִׁי לִשְׁאוֹל: Vbi solius animæ, dicunt, fit mentio. Inferunt: Si de anima tantum dicitur, illam non iri derelictum in inferno, sequitur, Christum secundum animam tantum descendisse ad infernum: Prius est. E. Resp: negando prius: Multoties enim in Scriptura Sacra anima synecdochice accipitur pro toto corpore humano: Dicitur etiam, hostes fuisse ita debellatos, ut ne anima superfuerit, cum tamen animæ sint immortales *Matth.* X. Ergo idem est ac si diceretur, ut nullus homo, constans ex corpore & anima, superfuerit. Et sic anima hic quoque pro toto homine sumitur vel pro corpore toto. Deinde respond: potius hic de sepultura Christi, quam descensu Christi, uti plurimi Interpp. notant, agi, prout patet ex *Act.* XIII, 36. *seqq.* ubi idem locus *Psal.* XVI. allegatur & de corruptione explicatur. Et quia, uti jam dictum, descensus Christi ad statum exaltationis, sepultura vero ad statum exinanitionis spectat. Non enim opus erat hoc solatio, quia Christus non ad inferos descendebat, ut ibi dolores perpeteretur infernales, sed ut diabolis & damnatis se præberet Triumphatorem, & realem ac terrificam concionem haberet 1. *Petr.* III, 19. At sola anima, quia destituebatur organis corporeis ad sermonem necessariis, concionem habere non poterat. Dico terrificam concionem, quia descendit ad damnatos, ergo non ad salvandos. Ex inferno enim nulla redemptio, & consequenter non eo fine Christus descendit, ut quemquam liberaret: nam incredulis & jam actu in inferno damnatis, super quos ira DEI in æternum manere debet *Joh.* III, 18. 36.

Christus non aliam quam terrificam concionem habere potuit.

DISPUTATIO VI.

CONTROVERSIA XXIII.

Unio fidelium mystica quemadmodum fit cum tota SS. Trinitate, quando substantia hominum fidelium cum substantia totius SS. Trinitatis per junctur am substantiæ ad substantiam conjungitur: ita etiam caro Christi cum omnibus fidelibus ut substantia cum substantia unitur. Quæ unio sano sensu potest dici substantialis, accuratius autem unio substantiarum, quia respectus habetur ad terminos, qui uniuntur; si autem modum unionis spectes, accidentalis omnino dicenda, quia Christus & fideles non uniuntur per se tanquam

una completa essentia, sed per accidens, i. e. per voluntatem & ordinationem divinam, superaddentem utrique distinctæ essentiæ certum & definitum propinquitatis nexum, qui nexus omnino ex genere accidentium est: Non autem essentialis & personalis dicitur, neque dicendum, consistere in spirituali per fidem præsentia, aut fieri per charitatem & vota, neque cum solis electis, sed cum omnibus fidelibus. Hæc unio ratione durationis in hac vita dicitur perseverantia in fide & bonis operibus. vid. B. D. Scherz. c. l. p. m. 911. seqq.

§. 1.

Jam non loquor de unione, qua Deus vi immensitatis & omnipræsentiæ cum omnibus creaturis unitur, quia adest in minimo corpusculo & in toto mundo nullibi expansus, nullibi incluſus, quæ alias uno nomine omnipræsentia dici solet, qua Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus, omnibus creaturis præsentia generali uni æque ac alteri adest: neque de omni-

præ-

præsentia humanæ Christi naturæ, de qua supra egi: neque de speciali præsentia, quæ consistit in junctura substantiæ ad substantiam, qua tota SS. Trinitas cum fidelibus unitur, de qua etiam supra dispexi: Quæstio est, an etiam substantia corporis Christi cum substantia fidelium uniatur? & an Christus secundum humanam quoque naturam operationes gratiosas omnipræsenter in fidelibus exerceat? Non tantum posterius, verum etiam prius affirmatur, optimumque ejus rei signum pignus ac confirmationem credo esse præsentiam Christi in SS. Cœna, in qua Christus corpus & sangvinem suum vere in, cum & sub pane & vino ad edendum & bibendum tradit, ut nos de sua omnipræsentia gratiosa certiores reddat, sine qua Deus ignis consumens & flamma esset, & ut se nobis, nos sibi uniat, donec nos ad æternam perducat perfectionem.

§. 2. Omnipræsentiam Christi secundum carnem jam supra probatam dedimus, eaque multis Scripturæ dictis, si non κατ' ῥητὸν, per pronam tamen atque bonam consequentiam probari posset, nisi jam non tam de omnipræsentia, quam de unione carnis Christi cum fidelibus essem sollicitus. vid. *B. Luth. Tom. I. Lat. Jenens. de Libertate Christiana fol. 466. Tom. IV. Lat. fol. 56. 57.* ubi D. Pauli explicat ex *Gal.* II, 20. verba: *Christus vivit in me.* Idem *Tom.* II. *Isleb. in cap.* VI. *Joh. fol.* 200. tradit sequentia: Wie nun eine unzertrennliche Person gemacht ist an Christo / der Gott und Mensch ist / also wird aus Christo und uns auch ein Leib und Fleisch / das wir nicht scheiden können / denn sein Fleisch in uns / und unser Fleisch in Ihme ist / daß Er auch wesentlich wohnhafft in uns ist / ꝛc. Aber das ist eine andere Vereinigung / denn eine persöhnliche Vereinigung / sie ist nicht so hoch und groß als die Vereinigung / da Christus warhafftiger Mensch mit dem Vatter und mit dem Heiligen Geist ewiger Gott ist / doch dahin gerichtet / daß Christus der Herr durch sein Fleisch

und

und Blut mit uns ein Leichnam werde / daß ich Ihm also angehöre / gleich wie an meinem Leibe alle Glieder an einander gehören / denn ja meine Hand / Arm / Fuß und Mund gehören zu meinem Leibe / und sind ein Leib mit einander / auch alle meine Blutstropffen dem Leib angehören. Was einem Gliedmaß fehlet / das mangelt dem andern auch / geschiehet einem Gliedmaß Ehre / böses oder gutes / so geschiehets dem gantzen Leibe. Also sind wir auch mit Christo in einen Leib und Wesen kommen / und vereiniget / daß was mich gutes oder böses angehet / das gehet Ihn auch an. Et post pauca: Diese Gleichnüß hat der Herr Christus darüm setzen wollen / daß Er wohl gesehen hat / es würden sich falsche Lehrer finden / als die Arriaener und andere / die aus dem Glauben eitel Gedancken / und nur ein Spiegelfechten machen würden / wie etliche fürgeben / daß wir mit Christo vereiniget sind voluntate, mit dem Willen / wie zweene gute Freunde mit einander eins sind. So hätten wir auch einerley Willen und Sinn mit Christo / daß Er droben im Himmel sey / und wir hienieden auf Erden. Aber wenn ich ausserhalb einer Stadt gefangen und angegriffen würde / was hülffe mir denn der / so inwendig in der Stadt ist? ob er wohl gleich mit mir gesinnet oder mein guter Freund ist. Darüm ist das nur eine eusserliche Einigkeit / oder legalis unitas, wie es die Juristen nennen / da man die Willen / so sonst widerwertig waren / mit einander vereiniget / und ist gar ein ander Ding von dieser Einigkeit Christi und der Gläubigen / denn solches ist gar eine weltliche Conventio. Mit dieser Einigkeit ists also gethan / daß Christus in mir und warhafftig ein Leichnam mit uns ist / daß Er gewaltig mit seiner Krafft und Stärcke bey uns hält / so nahe kömmet und ist kein Freund bey dem andern. His adde, quæ habentur Tom. III. Jenenſ. Germ. f. 159. Cum hac B. Lutheri ſententia optime conveniunt, qvæ B. *Chemnitius* tradit in *Tract. de duabus Chriſti naturis cap.* XXXI. *p. m. 208. & ſeqq.* ubi inter alia ita ſcribit: *Monent veterum illæ ſententiæ, quod non otioſa debeat eſſe concertatio de præſentia integræ perſonæ Chriſti in Eccleſia, ſecundum utramque*

/

que naturam. Sed considerandum est, quam utiles, jucundæ & dulces consolationes inde oriantur & petantur, quod Filius Dei Ecclesiæ suæ, quæ in his terris, in magna carnis infirmitate, inter varia mundi scandala, ac atroces Satanæ insidias, in multis tentationibus ac tribulationibus, sub cruce militat, adesse velit, non tantum divina, verum etiam assumpta illa sua humana natura, qua nobis consubstantialis, cognatus & frater noster est, & nos sumus membra corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus. Quodque illam etiam naturam adhibere velit, quando in officio Salvatoris nobiscum agit, & in nobis operatur, ut gratiam ac beneficia nobis conferat: Cumque fidei nostræ infirmitas onere carnis depressa in hac vita non possit secreta cœlorum conscendere & perlustrare, Christus ipse ad nos venit, Ecclesiæ suæ totus adest, & tanquam caput membris suis in terra militantibus se conjungit, in illa, cum illa, & per illam naturam, qua frater noster, cognatus & consubstantialis nobis est, ut hoc modo ad communionem & consortium divinæ naturæ nos perducat. Et post pauca: *Filius Dei tradit nobis illud ipsum corpus & sanguinem, cujus traditione & effusione beneficia salutis nobis promeruit, &* ILLA IPSA SVBSTANTIA *se nobis conjungit, in qua tota plenitudo divinitatis inhabitat corporaliter.* Vid. ibidem pluribus. Hæc sufficiant de unione in se spectata.

§. 3. Jam circa unionis modum maxima adhuc supersest lis & controversia cum *Weigelianis* & *Fanaticis* aliisq; Adversariis. In thesi dixi, substantiam ad substantiam per juncturam conjungi, quæ quidem dici posset *unio substantialis*, accuratius vero *substantiarum*, quia verba in LIS utplurimum designant modum rei: quando vero unio substantialis dicitur, non tam modus unionis, quam termini indicantur: accuratius dicitur unio *accidentalis*, quam alii etiam vocant *spiritualem*, qua denominatione distingvitur ab u-

nione personali & sacramentali, & ideo ita dicitur ratione principii (quod est supra rationem) & (qui est supernaturalis & singularis quoad substantiæ præsentiam) modi. Vbi etiam removi appellationem *unionis essentialis & personalis*, quam obtendunt Fanatici. Sic enim *Weigelius* in *suo Dialogo de Christianismo p. 11. 12. seqq.* nugatur: *Omnes Christianos esse naturales Dei Filios, ex essentia Dei genitos, qui consortes divinæ naturæ a Petro vocantur.* Assectas suos habuit, inprimis *Esaiam Stiefelium*, cui Dd. adscribunt Librum, quem vocat, Vier Tractätlein/ ubi *pag. 232.* scribit: Christus wohnet also in den Wiedergebohrnen/ und hat sich so nahe mit ihnen vereiniget/ daß ein solcher Mensch zum andern sagen könne: Ich Christus Jesus das lebendige Wort Gottes habe dich erlöset durch mein unschuldiges Leyden. Idem ille libellum edidit, cui titulus est: Etliche Christ- und Gottseelige Tractätlein/ ubi varios, imo blasphemos errores docet, *Tract. 2. p. 10.* inquit: Die Gläubigen sind mit Christo wesentlich und persönlich vereiniget. *Tract. 3 E. 8.* Christi Gemein ungesaubt/ und auch eine iede Person insonderheit/ ist durch diese Vereinigung mit Christo nicht zwey und unterschiedliche Personen/ zwey Wesen/ sondern ein gutes/ heiliges/ göttliches/ unsträffliches/ ewiges/ beständiges Wesen. *Tract. 2. E. 9.* Darum Christus seine gläubige Gemeine/ und eine iede Person insonderheit/ sich selbst sein eigenes göttliches Wesen/ und völlige Liebe/ so zuvor im Unglauben nicht seines Wesens und seine Liebe war/ nennet. *Ibid.* Und diß ist die grosse Person Christi in der selbständigen wesentlichen Einwohnung in seiner heiligen Gemeine. *Tract. 3. E. 8. seq.* Daß nun die auserwehlte/ rechtgläubige/ heilige Gemeine ingesambt/ und auch eine iede Person insonderheit/ in/ mit und durch diese allerheiligste Vereinigung und Vermählung mit Christo/ dem Drey-Einigen hochgelobten Gott/ nicht zwey unterschiedliche Personen/ zwey Wesen/ oder zwey Leiber/ sondern durch/ mit und in allerheiligster Vereinigung Ein gutes/ heiliges/ göttliches/ unsträffliches/ ewigbeständiges Wesen/ eine göttliche/ eine Christliche/ eine weise/

war-

warhafftige und mit allen göttlichen vollkommenen Tugend-Nahmen eine heilige Gemeine Gottes insgesambt/und eine iede Person in derselben/ein Christ/ein Gottes-Mensch/ein heiliger/unsträfflicher/weiser/gerechter und zum höchsten Lob des Drey-Einigen hochgelobten Gottes Jesu Christi/so in ihnen/über ihnen/in und an aller persöhnlicher Weise mit seinem allerheiligsten Nahmen und Samen das Wolien/Vollbringen/Sinnen/Gedencken/Wircken/Leben/Reden und alles wesentlich/sichtbarlich/greifflich/innerlich und äusserlich ist/und zu ewigen Zeiten und ungetrennet und unveränderlich bleibet/und das Regiment hat und behält/&c. Ein Mensch-Gott/ein Gott-Mensch/oder ein Menschlicher guter Gott/ein Göttlicher guter Mensch/ein Christus/ein Leib/eine Seele/&c. &c. Dies deficeret,si plura talia, quibus hi citati Tractatus undique scatent, addere vellem; quilibet plus satis ex his hæreticas Fanaticorum sententias perspicere potest. Qui vero non cum ratione insanire & studio veritati contradicere avet, ac contra Scripturam Sacram quicquam asserere,ille dum has videt vel audit tantum sententias,jam habet refutatas: itaque circa has non morabor. Quid alioquin Fanatici objiciant, & per quæ male intellecta dicta Scripturæ eo perducantur, mox patebit.

§. 4. Negavi etiam in thesi,unionem mysticam Christi cum fidelibus in spirituali per fidem præsentia tantum consistere,quod volunt Calviniani.vid. *Wendelinus Exercit.* CVII. §. 6.7.8. *seqq. pag.* 1775. Quæ sententia oritur ex negatione omnipræsentiæ carnis Christi. Quid objiciant,deinde patebit. Pontificii,*ut Cornelius a Lapide in Comment. ad* 2. *Cor.* XI,2. alium errant errorem,negando unionem mysticam fieri per fidem,ut causam organicam a parte hominum, sed per charitatem & quidem minus perfecte,perfectissime vero per virginitatem & vota continentiæ vel religionis. *Zanchius & Rivetus*, uterque in Comment. in *Hos.* II, 19. 20. docent, unionem

nem myſticam fieri cum ſolis electis. Si placet, ipſi videantur auctores prolixe hanc rem tractantes.

§. 5. Circa perſeverantiam brevisſimis monendum, aliam eſſe *continuam*, aliam *æqualem*, aliam *discontinuam*. Illa vocatur, quæ eſt absq; ulla interruptione temporis, qua fidelis ſemper per omnes vitæ dies, horas atq; momenta in unione cum Chriſto manet, quæ in hac poſt lapſum vita miſerrima vix ſperanda: Iſta eſt, quæ ſine imminutione gradus fidei & pietatis ſemper in homine reperitur. Sed quis dabit talem viatorem adultum, in quo per totam vitam gradus fidei ac pietatis, ne tantillum quidem, imminuatur: Hæc ſic dicitur in reſpectu ad perſeverantiam finalem, quæ in vita aliquando paſſa eſt interruptionem. Videtur quidem primo intuitu perſeverantia diſcontinua implicare contradictionem: qui enim non continuat unionem, revera non perſeverat in unione. Sed obſervandum eſt, dici perſeverantiam non ratione totius *termini per quem*, ſed reſpectu ſolius *termini ad quem* ſive finis vitæ, unde etiam cum addito *perſeverantia finalis* dici ſolet, ad quam ſufficit, ſi quis in vitæ termino & usque ad extremum halitum perſeveret, utut in via ſeu termino per quem deliquia non ſolum paſſa, ſed etiam penitus interrupta & abrupta fuerit. Vnde Chriſtus: *Qui perſeverat* (ſi non in tota vita, tamen ad minimum) *usque ad finem* (vitæ) *ſalvus erit*, *Matth.* X, 22. vid. *B. Scherzer. l. c.* Et qui ita perſeverat, dicitur ab æterno a Deo electus, utut talis in vita ſæpe *totaliter* excidat, atque eo ipſo deſinat eſſe in unione cum Chriſto; tamen non *finaliter* excidit: ſubinde enim per veram pœnitentiam in unionem reaſſumitur. Περσεβαιοι autem & totaliter & finaliter hanc unionem ſolvunt, in quibus nec eſt perſeverantia finalis.

§. 6. Βεβαίωσις ſumitur ex 1. *Cor.* VI, 15. 16. 17. Οὐκ οἴδατε, ὅτι τὰ σώματα ὑμῶν, μέλη χριστοῦ ἐστιν; Ἆρας οὖν τὰ μέλη τοῦ

χρι-

χριστοῦ ποιήσω πόρνης μέλη; μὴ γένοιτο. Ἢ οὐκ οἴδατε ὅτι ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ, ἓν σῶμά ἐστιν; Ἔσονται γάρ, φησὶν, οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. Ὁ δὲ κολλώμενος τῷ κυρίῳ ἓν πνεῦμά ἐστι. Depingit hic Apoſtolus Corinthiisque ſuis ob oculos ponit ſcortationis fœditatem; & demonſtrat, quam abominandum ſcelus ſit, Chriſtianum rem habere cum ſcorto. Tantum autem abeſt, ut turpitudinem illam ſola ὁμονοίᾳ atque convenientia mentis & libidinis delineaverit, ut potius illam internam exteriori membrorum conjunctione omnibus demonſtret. Quemadmodum itaque in tali conjunctione, præter unionem affectuum, etiam extremorum indiſtantiam dari, ipſe textus in πρωτάσει clamat, quando dicit: ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ ἓν σῶμά ἐστιν: (nemo has loquendi formulas de ὁμονοίᾳ in Scriptura Sacra uſurpatas inveniet. De fidelibus quidem in primitiva Eccleſia, quos inter maxima fuit affectuum harmonia, dicitur, quod τοῦ πλήθους τῶν πιστευσάντων ἡ καρδία καὶ ἡ ψυχὴ μία fuerit *Act.* IV, 32, non autem quod fideles ἓν σῶμα vel εἰς σάρκα μίαν fuerint) ita firmiter concludo, in ὑποδόσει unionem intelligi ſubſtantiæ ad ſubſtantiam; videlicet quantum ad indiſtantiam extremorum unionis: Vnio autem maris & fœminæ fit per copulam naturalem, carnalem, localem & circumſcriptivam: Vnio vero ſubſtantiæ Chriſti cum ſubſtantia fidelium per copulationem ſupernaturalem & incircumſcriptivam. Jam argumentor: Si Chriſti ſubſtantia ad ſubſtantiam fidelium ut maritus uxori jungitur, ſequitur, iſtam unionem non eſſe perſonalem vel eſſentialem, neque conſiſtere in conjunctione, quæ fit per fidem, neque quæ fit per charitatem & vota, neque cum ſolis electis. At prius eſt. Ergo. Majoris conſequentiam probo ad quævis membra. (1) Quemadmodum maritus & uxor actu unionis non faciunt unionem perſonalem, vel eſſentialem, ſed duæ manent diſtinctæ ſubſtan-

tiæ & essentiæ, ut non possit unum de altero prædicari, e. g. uxor est maritus, & maritus est uxor, vel: essentia mariti fit essentia uxoris, & contrà; sic non possum personaliter vel essentialiter dicere: Christus est fidelis, scil. ille homo, cum quo conjungitur, neque fidelis ille est Christus, quod volunt Fanatici, uti ex supra citatis illorum verbis abunde constat. (2) Vnionem non consistere tantum in fide: Quia Apostolus comparationem instituit uxoris & mariti, cum unione fidelium. Quemadmodum autem unio uxoris & mariti non tantum fit per fidem sed per realem ac veram juncturam, ita & unio Christi cum fidelibus fit per realem, veram, licet nobis non comprehensibilem & supernaturalem, juncturam. (3) Quod non per charitatem & vota hæc unio fiat, manifestum est, quia hæc neque ut medium unionis, neque ut causa instrumentalis à parte hominum spectari possunt, imò planè unionis actum non ingrediuntur, sed demum sequuntur, quia hæc unio fit ex gratiâ divinâ propter meritum Christi fide apprehensum. Ante unionem mysticam enim homo nulla adhuc bona opera exercet; Paucis: B. O. plane uti in negotio justificationis, ita & in unitione fidelis cum Christo, si actum unitionis spectes, exulant; nam quod deinde post unitionem in ipso statu sive unione B. O. sequantur, nemo negabit. (4) Non cum solis electis, quia comparatio ab Apostolo non tantum inter quosdam homines, sed inter omnes, qui etiam tantum ad tempus dicuntur fideles, instituitur, & *quicunque*, quisqvis demum sit, *adhæret Domino*, utut deinde deficiat, *unus Spiritus est cum eo*. Quod vero multi sint ἀφιστάμενοι, notum est: hi aliquandiu manent uniti cum Christo, deinde ipsi hoc vinculum abrumpunt: neutiquam autem inde argumentari licet ad perfidiam Christi in hac abruptione, quasi Christus causa esset, ut hæc junctura scinderetur, sed potius homo ipse propter

pter peccata, & unionem cum Diabolo per peccata, causa hujus inter ruptionis, vel etiam abruptionis est.

§. 7. Objicit *Weigelius* cum aliis *Fanaticis: Christus caput nostrum est, nos ipsius membra sumus Ephes. V. At corpus & membra cum capite essentialiter connexa sunt. Ergo etiam credentes cum Christo substantiali vel essentiali unitate conjuncti sunt.* Resp: Distingvendum inter corpus mysticum & naturale: quodlibet enim simile suum etiam habet dissimile. In naturalibus & physicis corpus & membra cum suo capite sunt una substantia; verum Ecclesia sive fideles cum Christo sunt unum corpus mysticum & duæ substantiæ. Alia loca lubens non adduco, præter hunc: *Joh.* XVII, 11. ἵνα ὦσιν ἓν καθὼς ἡμεῖς. Inde inferunt: Si fideles ita sunt unum, ut Pater & Christus, qui sunt essentialiter unum, sequitur, quod & fideles cum Christo sint essentialiter unum, &c. Resp: vocabulum similitudinis sæpissime in Scriptura Sacra non identitatem, sed veritatem tantum indicare, uti *Matth.* V, 48. ut unum tantum jam adducam locum. Vbi non injungitur a Christo perfectionis nostræ cum perfectione divina æqualitas, quæ imposibilis, sed perfectionis ejus, de qua loquitur, necesitas; ita & hic non illimitata & absoluta, sed comparata intelligitur similitudo, non identitas, sed veritas, ceu dixi.

§. 8. *Calviniani* inprimis objiciunt *Act.* I, 11. ὁ Ἰησοῦς ὁ ἀναλημφθεὶς ἀφ' ὑμῶν εἰς τὸν οὐρανὸν, οὕτως ἐλεύσεται ὃν τρόπον ἐθεάσασθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανόν. Quicunque adscendit in cœlum, & in extremo demum die iterum venturus est, illius substantia non unitur cum substantia fidelium. Sed Christus &c. Ergo. Majorem prob: quia non amplius est præsens. Sed negatur Major cum probatione: Adscensionis quidem Christi veritatem juxta Scripturam asserimus, sed neutiquam cœlum quoddam topicum in humano cere-

bro

bro fingimus, ubi ad diem usque novisſimum Dominus gloriæ incluſus ſedeat. Cœlum enim iſtud eſt immenſa & infinita gloriæ & virtútis divinæ majeſtas, cujus plenarium exercitium Chriſtus qua homo, eſt conſecutus, *Eph. I, 20. ſeqq.* Quod cœlum localem incluſionem neſcit, & ſua ſponte regimen præſentisſimum infert, quo Chriſtus omnibus creaturis & maxime fidelibus præſens adeſt. Deinde quod per fidem fiat iſta unio, h. e. per phantaſiam imaginariam, probant: *quia fides efficit, ut Chriſti corpus abſens ſit præſens.* Hoc nego: efficit quidem ut adſit objective, non vero realiter, ut in V. T. antequam Chriſtus incarnaretur, objective quidem per fidem habebant præſentem Chriſtum, ſed non realiter, uti jam in N. T. Etiamſi humana mens hoc capere non poſſit, tamen inde non licet concludere: ergo etiam non eſt credendum; ſed potius contra: quia mens noſtra revelatum myſterium non poteſt aſſequi, ideo eſt credendum.

§. 9. Objiciunt *Pontificii* 1. *Joh.* IV, 12. ἐὰν ἀγαπῶμεν ἀλλήλους, ὁ Θεὸς ἐν ἡμῖν μένει. Quicunque per charitatem in Deo manet, non manet per fidem. Sed fideles &c. Ergo. Reſp: negando Majorem: unius enim poſitio non eſt alterius excluſio. Per charitatem fideles manent in Deo tantum ſignificative vel indicative, h. e. charitas tantum ſignificat vel indicat, homines adhuc eſſe unitos cum Deo, & eſt fidei conſequens, quod Apoſtolus diſerte indicat, *verſ. 13.* ἐν τούτῳ γινώσκομεν. Quibus verbis indicat, charitatem tantum eſſe ſignum adhuc conſtantis & immotæ fidelis cum DEO unionis.

§. 10. Pro votis objiciunt *Matth.* XXV, 10. ubi dicitur, virgines intraſſe regnum cœlorum, uti etiam alia loca objiciunt de virginibus, & inde concludunt: Ergo tantum cœlites, qui adhuc ſunt virgines, & votum continentiæ voverunt, unionem conſtituunt cum Chriſto. Sed negant Noſtra-

1697.

ſtrates per virgines intelligi tantum cœlibes, quia virgines in Scriptura Sacra omnes fideles dicuntur, cum quibus Chriſtus init ſponſalia juxta *Hoſ.* II. qui non ſpirituali ſcortationi ſeſe dederunt vel dant, h. e. qui vera utuntur religione, & juxta mandata Dei vitam inſtituunt Deo placentem, & inprimis merito Chriſti, ſponſi animarum, nituntur in omnibus animæ & corporis periclis.

§. 11. Unionem fieri cum ſolis electis, ut probent *Calviniani*, objiciunt hanc rationem: quia ſoli electi veram conſtituunt Eccleſiam. Vid. *Rivet. in Cathol. orthod. Tr. II. Qv. 2. pag. 287.* Reſpond. hoc eſſe falſiſſimum: Nam Eccleſia ſumitur dupliciter (1) prout ſpectatur, ut cœtus fidelium, infidelium & hypocritarum conjunctim ſumptus, qui eſt cœtus viſibilis vel Eccleſia viſibilis. (2) ut inviſibilis cœtus, qui nullos ſibi mixtos habet pro tempore infideles. Non priori modo dicimus Chriſtum uniri cum Eccleſia, ſed poſteriori. Jam autem quæritur, an poſteriori modo ſumpto vocabulo Eccleſiæ ſoli electi ſint illa Eccleſia? quod nego & pernego. Quia ex his in eo cœtu, qui uno tempore omnes credunt, alio tempore multi inveniri poſſent naufragium fidei paſſi.

CONTROVERSIA XXIV.

Fides in Chriſtum ad ſalutem neceſſaria, quæ non eſt obedientia mandatis divinis præſtita, tres habet gradus: notitiam, aſſenſum & fiduciam à ſpe diſtinctam, quæ apprehendit credentique applicat meritum Chri-

sti, atque in infantibus baptizatis quoque datur: hanc semper bona opera ut fructus fidei sequuntur, nec ab illa separari possunt; ideo etiam, utut non per se, quatenus est opus, sed ratione objecti, quod est Christi meritum, justificat æternumque salvat, adeo ut omnis homo propter hanc de justificatione sua certus esse possit, deque æterna salute, si ad finem usque vitæ illam retineat.

§. 1.

Fidem in Christum ad salutem esse necessariam, inprimis *Sociniani*, aliter de fide salvifica atque Nostrates docentes, negant. Fundamentum negationis jam supra vidimus, quia nempe satisfactionem proprie sic dictam pro peccatis nostris a Christo factam non credunt, imo nos hac sententia ubivis perstringunt, nos docere satisfactionem non-satisfactionem: ubi enim pro debito satisfactum sit, ibi non opus esse alia satisfactione, vel quotidiana oratione, ut nobis peccata nostra condonentur, vel fide, qua vitam æternam consequamur. Ideo hunc errorem volunt corrigere, uti putant, & docent, fidem veram non hanc esse, quæ credit, propter meritum Christi & satisfactionem hominibus peccata condonari, & quod propter hanc vitæ æternæ fiamus participes; sed

fidem

fidem nihil aliud esse quam obedientiam mandatis divinis præstitam, hancque esse formam justificationis & causam salutis æternæ. Vid. *Socinianorum* scripta passim de fide agentia, inprimis *Socini Tract. de Servat. cap. X.* ubi per totum caput descriptionis nostræ fidei (quam ibi vide) vanitatem & periculi plenum mendacium se demonstraturum, ait. Nostrates vero docent, obedientiam hanc, in qua veram fidem consistere prætendunt *Sociniani*, esse effectum fidei, eamque ut signum veræ fidei sequi, atque ad bona opera pertinere.

§. 2. Circa vocabulum *Gradus* notandum, quod non omnes Nostratium semper uno nomine hoc appellarint, quando de *notitia* sunt locuti, quam nunc *initium* vel *principium fidei*, nunc *partem primam*, nunc *antecedens veræ fidei* nuncuparunt, nihilominus vero in re ipsa optime convenerunt. Dubitarunt enim quidam ideo notitiam fidei gradum dicere, vel non accurate sic dici credidere, quia hæc etiam in pessimis veram religionem spernentibus hominibus imo in Diabolis dari posset, de quibus sane non facile dicetur, eos habere micam salvificæ fidei, nedum gradum primum: Nunquam vero hi negarunt, notitiam non pertinere ad veram fidem; in modo tantum loquendi dissensus fuit. Quicquid autem sit, cum hic modus loquendi jam in scholis sit receptus, eum temere nolui deserere. Inprimis autem hic contra *Pontificios* disputatur & *Scholasticos*, qui distingunt inter fidem *implicitam* vel *generalem*, quæ est, qua homo sine cognitione articulorum fidei considerátur, & ut credens, qui credit, quod Ecclesia credit, utut, quæ ecclesia credit, nesciat: & inter fidem *explicitam* vel *specialem*, qua omnes articulos fidei homo perspectos habet. Priori modo consideratus homo tamen pro vero fideli, qui veram ac salvificam habet fidem, ab ipsis habetur ac creditur. Vid. *Lombardus Lib. 3. dist. 24. Thomas 2. 2. Q. 2. art. VI.* *Bellarminus* his quoque suum addit calculum, scribens *L. 1. de Justif. cap.*

VII. fidem proprie sic dictam melius per ignorantiam quam per notitiam definiri. Easdem *Sociniani* inflant tibias, asserentes: *ad justificationem sufficere cognitionem existentiæ vitæ æternæ & præceptorum Dei, ita ut requiratur cognitio eorum, quæ Christus pro nobis fecit.* Vid. *Socin. in Epist. ad Dudith. p. 31. Instit. Reg. Christ. p. 16. de fide & operibus p. 136.*

§. 3. *Assensum* Pontificii admittunt, sed *fiduciam* negant, inprimis *Bellarminus l. c. cap. V. seqq.* Ipsum *Concilium Tridentinum sess. VI. Can. XII. Si quis dixerit, fidem justificantem esse fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, anathema sit.* Hic observandum: notitiam & assensum pertinere ad intellectum, fiduciam vero ad voluntatem: quæ autem potentiæ vitales spirituales non realiter sunt distinctæ ab ipsa anima, nec sunt reale quid superadditum ad substantiam ejus; ita ut syllogismus Pontificiorum nihil habeat valoris, quem alias circa hanc materiam objicere solent: *Una virtus non potest esse in duobus subjectis realiter distinctis. Fides est una virtus, intellectus & voluntas sunt subjecta realiter distincta, non solum ab anima sed etiam inter se. Ergo fides non potest esse in intellectu & voluntate, & per consequens nequit consistere in notitia & assensu; quæ sunt actus intellectus, ac in fiducia, quæ voluntatis actus est.* Ad minorem responderi poterat, negando, quod intellectus & voluntas sint subjecta realiter inter se vel ab anima rationali distincta. Vid. de hac materia prolixe & ingeniosissime *B. Slevogt. in suis Disp. Academicis Disp.* XXIII. *De identitate potentiarum vitalium inter se & cum anima p. m. 533.* Huc faciunt verba *Augustini*, Hipponensis Episcopi, *Lib. de spiritu & anima c.* XIII. ubi ait: *Dicitur animus, dum sapit: dum intelligit, mens: dum discernit, ratio; dum recordatur, memoria: dum vult, voluntas: ista tamen non differunt in substantia, quemadmodum in nomini-*

bus;

bus, quoniam omnia ista una anima est, essentia una. Deinde *Bellarminus* negat, fiduciam esse a spe distinctam: sic enim scribit *L. I. de Justif. cap. VI. Fiducia nihil aliud est, nisi spes roborata, spes autem a fide distinguitur.* Sed quilibet, qui vocabula *fiduciam & spem* in suo significatu proprio considerat, perspicit, non esse vel significare idem: spes enim est futurorum, fiducia vero præsentium; ergo spes & fiducia non possunt esse idem.

§. 4. De apprehensione & applicatione meriti Christi, quæ fit per fidem etiam mentionem feci in thesi. Hæc apprehensio & applicatio fiducialis, prout fomram fidei justificantis, quatenus justificat, constituit, non se habet per modum causæ organicæ efficientis ac cooperantis causæ principali & virtutem justificandi in se habentis, si modo elevetur a superiori causa, sed per modum organi *non dantis*, sicut serra findit lignum & cooperatur reciprocanti eam: sed *apprehendentis* rem justificam, ut ad justificationem non alia ratione concurrat, quam ut organon, quo meritum Christi, per imputationem nostrum fit: sicut manus mendici, qua is apprehendit eleemosynam, panem scil. vel obolum, qui jam paratus est a pistore vel monetario, sed tantum ad panem famelico vel obolum pauperi dandum: & sicut haustus aquæ per situlam, non ipsam sitim restingvit, sed tantum organum est, per quod aqua sitim restingvens nostra fiat & in usum nostrum convertatur. Vid. *B. Carpzov. Isagog. in Libb. Symbb. p. 206.*

§. 5. De fide infantum maxima inter *Pontificios, Calvinianos, Socinianos & Anabaptistas*, atque alios intercedit controversia. *Pontificii*, quia distingvunt inter *fidem actualem & habitualem*, actualem in infantibus negant, cum tamen non alia nisi actualis fides justificet. Sic enim *Vitus Erbermannus Jesuita in Anti-Musæo Qv. 2. §. 10. p. 38. Quis sani cerebri*, ait, *sibi persvaserit, infantes fide speciali & ju-*

ſtitia inhærente pollere? At Lutherus tamen non ita ſtatuit? Sic eſt, ſed tam abſurde, ut non modo Catholici hoc, veluti febrientis cerebri delirium, ſed etiam Calviniani communiter exploſerint, plures vero e Lutheranis receſſerint ab eo commento, ingenueque faſi ſint, id capi & explicari non poſſe. Legant ergo tam inſigne paradoxon nobis e Scriptura Sacra, aut fateantur iterum ſe condere chimæras, h. e. non utentes ratione uti ratione. Eadem repetiit *Laurentius Forerus* im Wunder über Wunder *part. 2. pag.* 328. Daß die unmündigen Kinder / wenn ſie getaufft werden / ohne Verſtand würcklich glauben / iſt eine greiffliche Falſchheit / mit welcher ſie die andern in dem Lutherthum vor dem Luther wollen ſchmücken und bedecken. Darzu ſie noch mehr Unwarheiten ſetzen durch falſche Auslegung der Schrifft. Plura Pontificiorum verba addere non licet, nec opus eſt; quilibet jam tum ex allegatis, calumnias in Noſtrates effuſas ſubaudit. Sed oſtendatur unus ex orthodoxis Lutheranis, qui receſſerit ab hac ſententia, quod infantes fide actuali poſt baptismum credant. Et etiamſi dicatur, non capi poſſe, quomodo credant, inde tamen concludere non licet, noſtros dixiſſe, infantes plane non credere: ab ignorantia & negatione modi ad negationem rei ipſius non V. C. Plurima etiam in rebus fidei ſunt credenda, ubi quidem rem ſcimus, ſed modum ſæpiſſime ignoramus. Quod *Lutheri* ſententiam attinet, notum eſt, quæ primis poſt reformationem annis ſcripſit Beatus Doctor, eorum quædam ipſum poſtea retractaſſe, & in *Præfat. Tom. I. Operum* præfixa monuiſſe Lectorem, ut illa cum judicio, imo cum multa commiſeratione legat.

§. 6. *Calviniani* conſentiunt hic cum *Pontificiis*. Audiamus verba *Zwinglii Tom. II. Oper. fol. 92. Qui probare vellet, infantes fidem habere, laterem ille lavaret.* Et *Tom. I. Lib. de Provid. cap. VI. p. 369. a. Certe fides baptismo non adfertur.* Sed huic opponimus ejus commilitem *Wendelinum*: utut ne-

neque ille veram infantibus adſcribat fidem, omnem tamen, ut *Zwinglius*, illis non denegat. Verba ejus in Theol. Chriſtiana Lib. I. cap. XXIV. p. m. 543. hæc ſunt: *Qui omnem infantibus fidem denegant, difficultatibus haud levibus urgentur. Nam ſi omni prorſus fide carent infantes, vel nulli ſalvantur, vel, ſi aliqui ſine fide ſalvantur, gemina erit ſalutis obtinendæ ratio, una pro adultis, altera pro infantibus: quod an Scripturæ ſit conſonum, multi dubitant.* (Quod & ſibi capiat *Wendelinus*, aliam, quam in adultis, in infantibus fingens fidem, quæ tamen tantum una eſt, μία πίϛις inquit Apoſtolus *Epheſ.* IV, 5.) *Hac quoque ratione* (pergit Wendelinus) *non ad omnes promiſcue, ſed ſolos adultos referenda, adeoque reſtringenda erunt illa univerſalia Scripturæ effata: Sine fide impoſſibile eſt Deo placere, Hebr. XI, 6. Qui non crediderit damnabitur, Joh.* III, 18. *Sine ſanctimonia nemo videbit Deum, Hebr.* XII, 14. *Niſi quis fuerit renatus ex aqua & Spiritu, non poterit introire in regnum Dei, Joh.* III, 5. *Hic aſſenſus merito cohibetur. Igitur omnis adimenda infantibus fides non videtur, etſi, qualis ea ſit, explicari haud poſſit, &c.*

§. 7. His quoque ſuffragantur *Sociniani. Socini* verba in libello ſvaſorio, quod Evangelici ſe debeant adjungere &c. cap. IV. p. 52. ſic ſonant: *Quod non pauci, ut ſaltem infantibus quoque rite adminiſtrari baptiſmum poſſe doceant, illis fidem tribuunt, eosque in Deum credere contendunt, perridicule ab ipſis id fit: cum non ſolum id affirment, quod cum omni ratione ipſoque ſenſu communi pugnat, nec ullum fundamentum in divinis teſtimoniis habet; ſed etiamſi id verum eſſet, nihil tamen ad rem faceret, cum ad baptiſmum rite ſuſcipiendum ſimplex in Deum fides non ſit ſatis, ſed neceſſe ſit, ut adſit fides in Jeſum Chriſtum, i. e. ut is, qui baptizari debet, credat, Jeſum Nazarenum eſſe Chriſtum, ejusque doctri-*

doctrinæ adhæreat, ac publice id profiteatur, quam fidem si quis infantibus tribuere aut ineſſe poſſe, aſſerere audeat, ſtultus meritiſſime ab omnibus judicetur. His verbis *Socini* oppono *Slichtingii* verba contra *Meisn. fol. 906. coll. 848. Quod infantes credere poſſint per divinam potentiam, negari nequit, cum ſciamus, etiam aſinas, quoties velit loqui poſſe.* v. *Colleg. Anti-Socin. B. Scherz. p. m. 834.* Inprimis denique Anabaptiſtas hic Adverſarios habemus, qui in *Colloquio Embdano* profitentur: *Infantes ſalvos fieri, licet non credant, &c.* quod ſane expreſſe contra ſupra citata Scripturæ dicta aſſeritur. *Habac.* II, 4. *Ebr.* XI, 6.

§. 8. Bona opera ut fructus fidei, fidem ſequi, nec ab ea ſeparari poſſe, *Pontificii* negant, non ſolum prætendentes, fidem absque operibus nullo modo dici poſſe fidem veram (quod ſano ſenſu & nos aſſerimus) verum etiam certum quoddam bonum opus eſſe fidei formam; ideo diſtingvunt inter fidem *informem* & *formatam*: illam vocant, quæ plane absque operibus conſideretur, & alioquin dici ſoleat fides mortua; hanc, quæ cum infuſa charitate ſpectetur, ubi charitas quaſi forma ſalvificæ vel veræ fidei eſſe debeat. Vnde *Bellarminus L. II. cap. IV. p. 143. Fides quædam eſt viva, quædam mortua, Jacob. II, 20. Res autem viva per aliquam formam vivit, & res mortua propter abſentiam alicujus formæ mortua eſt, quapropter fides mortua & fides informis idem ſunt.* Sed Noſtrates docent, fidem mortuam plane non eſſe fidem, ſed tantum jactantiam fidei, qua quis gloriatur de fide, ubi nulla vera adſit; Vti vero fides mortua non eſt fides, ita neque fides informis. Charitas autem non eſt forma, ſed effectus fidei & ſignum, quamvis non ſemper infallibile, cum & hypocritæ veram ſimulare poſſint charitatem.

§. 9. Fides juſtificat & ſalvificat non quatenus eſt opus vel vir-

Virtus per se, sed ratione objecti, quod est meritum Christi. Hic probe notandum, aliud esse: fidem, *quæ* est virtus vel bonum opus, justificare; aliud: fidem *quatenus* est virtus & bonum opus, justificare. Prius ambabus, quod dicitur, manibus largimur, nequaquam posterius. Quod probe observandum contra *Pontificios* & *Socinianos*, qui talia objiciunt Scripturæ loca, ubi fides vel obedientia, vel charitas, vel opus Dei appellatur, ut *Rom. I, 5. c. XVI, 26. 1. Pet. I, 22. Ebr. V, 9.* quamvis ambigere liceat, an fides in hisce textibus diserte obedientia dicatur? *Joh. VI, 29. Phil. I, 29.* hæc distinctio commode adhiberi potest. Circa objectum fidei etiam Pontificii nobiscum haud conveniunt, nobis enim objectum fidei justificantis est Christi meritum, singularisque illa DEI misericordia nobis in Christo promissa: *Bellarminus* vero *Libr. I. de Justific. cap. IV.* inquit: *Catholici tam late patere volunt objectum fidei justificantis, quam late patet verbum Dei, quin potius certam promissionem specialis misericordiæ non tam ad fidem, quam ad præsumtionem pertinere contendunt.* Contra nostrates dicunt, illud esse fidei objectum, in quo habemus justitiam, quod sc. est meritum Christi, qui sua obedientia suaq; justitia nobis peperit justitiam, ut per justitiam Christi non autem per nostram justificemur. Nec quenquam turbare debet, si legerit, nunc specialem Dei misericordiam, nunc Christi meritū, nunc promissionem, nunc reconciliationem & remissionem peccatorū, pro objecto fidei justificantis allegari, nulla enim inter hæc est oppositio, sed subordinatio, & quodlibet aliter atque aliter in actu sive negocio justificationis consideratur. Justificamur enim (1) misericordia vel gratia Dei, quæ est causa προηγουμένη *Ephes. II, 4. 2. Tim. I, 9.* (2) Merito Christi, quod est causa προκαταρκτική. *Rom. V, 10. cap. X, 4.* (3.) Verbo & Sacramentis δοτικῶς, oblative. *Rom. I, 10. c. IV, 11.*

IV, 11. (4.) Fide ληπλικῶς, apprehenſive. *Rom. III, 28. Galat. II, 16.* (5) Remiſſione peccatorum ὀπωδῶς formaliter. *Coloſſ. I, 20. Rom. IIX, 32.*

§. 10. Cauſæ juſtificationis & ſalutis ſunt variæ, ut cauſa *efficiens*, quæ eſt Deus trinunus : cauſa *impulſiva interna*, quæ eſt Dei bonitas vel gratuitus favor : cauſa *impulſiva externa*, eaque meritoria, eſt meritum Chriſti, vera fide apprehenſum, eaque finali, quando de æterna ſalute agitur, cum fides juſtificans amitti poſſit. Absque fide namque in Chriſtum nemini meritum Chriſti prodeſt ; ipſa tamen fides in Chriſtum Deum movet ad hominem juſtificandum, verum non ſua propria dignitate, vi aut valore, ſed virtute ac dignitate objecti, quod apprehendit, nec apprehenſio iſta, quatenus ut actus conſideratur, quicquam valet, ſed valor tantum oritur ex merito Chriſti. Hoc ſenſu dicitur, fidem relative (reſpectu habito ad correlatum, nempe meritum Chriſti,) juſtificare. *Pontificii* vero fidem in negotio juſtificationis non ita conſiderant, verum *legaliter*, & ut virtus primi præcepti eſt, atque paritio Deo dicenti ac vocanti præſtita ; ſed hac ratione juſtificatio non ex gratia eſſet, ut in ſequentibus oſtendetur, ſed ex operibus, & operanti fides imputaretur ad juſtitiam, quod eſt contra Apoſtolum *Rom. IV. c. XI, 6.*

§. 11. Omnis homo de fide ſua, adeoque de ſalute ſua, certus eſſe poteſt, nec quicquam huic ſententiæ detrahitur, quod Apoſtolus dicit, cum timore & tremore ſalutem eſſe quærendam *Phil. II, 1.* cum ibi contra Epicuræos ſecurosque peccatores loquatur, & verba ſua illorum ſecuritati, non ſpei Chriſtianorum certæ opponat, quod patet ex *verſu ſeq.* & aliis Scripturæ locis. Nec hæc noſtra ſententia homines ſecuros reddit, cum & nos omni ſtudio peccatores adhortemur, ut abſtineant a peccatis & in Chriſtum

ſtum credant, niſi certo velint æterna ſalute privari, juxta illud *1. Johann. II, 1. ſequ.* ſi autem quis eſt, qui peccata dolet, ſeriamque agit pœnitentiam, habet Advocatum apud Patrem juſtum, qui eſt propitiatio pro totius mundi peccatis; Et qui hanc propitiationem vera fide ita apprehendit, quaſi ſuam, ac ſi ipſe Deum ſibi reddidiſſet propitium, omnino de ſua fide, dum meritum Chriſti apprehendit, certus eſſe poteſt: an autem in ea apprehenſione usque ad finem vitæ ſit permanſurus, de eo certus eſſe non poteſt certitudine ſimpliciter abſoluta, tamen certitudine fidei, ideo & hic ſemper cum timore & tremore ſalutem ſuam curare, h. e. nunquam ſecurus fieri, & ſemel apprehenſo fide Chriſti merito, deinde illud iterum negligere debet. *Pontificii* autem plane negant, ullo modo hominem de fide & ſua ſalute certum eſſe poſſe, imo pro virtute & bono opere habent, ſi quis de ſua dubitet ſalute, hancque dubitationem quaſi humilitatem quandam commendant. *Conc. Trid. Seſſ. VI. c: IX. Coſter. in Enchir. c. IV. de Fide. Bellarm. L. 1. de Juſtif. cap. III. &c.* Ab hac quoque ſententia non abſunt *Calviniani*, dum docent, fidem tantum eſſe electorum: cum autem nemo, juxta hypotheſin illorum, ſcire poſſit, an ab æterno a Deo electus ſit, neque de ſua fide & æterna ſalute certus eſſe poteſt. Quod fides tantum ſit electorum, defendunt *Zanchius Tom. I. Miſcell. fol. 241. Beza Vol. I. f. 17. Piſcator Vol. I. Diſp. de Fide th. 30. & Diſp. de certitudine elect. th. 40. &c.* Hi etiam docent, fideles vel electos fidem nunquam amittere poſſe, ſed, etiamſi in peccatis contra conſcientiam, imo mortalibus, vivant, manere tamen in ipſis fidem ſalvificam. Quod Noſtrates negant: obſervant quidem circa hanc materiam aliter ſe rem habere cum fidelibus, cum electis aliter; omnes namque electi ſunt fideles, ſed non omnes fideles ſunt elec-

ſti, nam dantur hoc tempore fideles qui alio tempore, & ad finem vitæ usque permanent infideles, nemo autem electorum ad finem vitæ usque manet in peccatis h. e. infidelis, quia alias præſcientia Dei falleret, quod eſt impoſſibile ac impium. Ideo diſtingvunt Theologi inter *totaliter* amittere fidem, & *finaliter*, totaliter quidem electi fidem amittere poſſunt, non vero finaliter, ſed adhuc ante finem vitæ pœnitentiam agunt ſeriam, h. e. ſummopere peccata commiſſa dolent & meritum Chriſti vera fide apprehendunt, ſibique applicant: Fideles vero & totaliter & finaliter fidem amittere poſſunt *Luc. IIX. 13. Sociniani* circa hanc doctrinam in alteram partem nimis declinant, ſtatuentes, tam mutari ipſam electionem, quam pietatem hominis in hac vita, poſſe. vid. *Slichting c. Meiſnerum in Q. duabus fol. 31.* quod tantundem valet, ac electos finaliter excidere gratia poſſe. Quem errorem refutavit *B. D. Scherz. Colleg. Anti-Socin. p. m. 746. ſeqq.*

§. 12. Βεβαίωσις: Probo (1) Fidem ad ſalutem eſſe neceſſariam, ex *Marc. XVI. 16.* ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς, σωθήσεται· ὁ δὲ ἀπιστήσας, κατακριθήσεται. Si per incredulitatem habetur æterna damnatio, ex Chriſti merito fide finali apprehenſo vita æterna, ſequitur fidem eſſe neceſſariam ad ſalutem. Prius eſt; Ergo. (2) Fidem ut neceſſariam ad ſalutem, non eſſe obedientiam: Quicquid enim differt ut antecedens & conſequens, ut cauſa & effectus, illud non eſt idem. Sed Fides & obedientia. &c. Ergo. Major eſt clara. Minorem probo, quia obedientia eſt bonum opus, absque fide autem nemo opus bonum efficere poteſt, quia fides eſt quaſi radix, ex qua deinde fructus originem habent, vel dependent. Quod ubivis a Noſtratibus plus ſatis deductum atque evictum eſt. Inter cæteros conferri poteſt *B. Carpz. Iſagog. in Lib. Symbb. p. 256. & continuatio B. Olearii p. 1309.*

§. 13.

157.

§. 13. (3) Ad ſalvificam fidem pertinere (α) *notitiam*, contra Pontificios probatur ex Joh. XVII, 3. αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν. Si in hoc hominum vita eſt æterna, ut cognoſcant verum Deum & Jeſum Chriſtum, omnino ad fidem pertinet notitia. Sed prius eſt. Ergo. Major patet. (β) *aſſenſum*, negationi, dubitationi, *Jacob. I, 6. Rom. IV, 19.* & metui *Luc. IIX, 50. Marc. V, 36.* oppoſitum (γ) *Fiduciam*, ex *Ebr. XI, 1.* ἔστι πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις. ὑπόστασις enim hic ſignificat confidentiam imperterritam animi, quæ nullis cedat periculis, item ſubſiſtentiam, quæ facit in animo noſtro exiſtere, quæ ſperantur futura. Hæc cum ſint clara *Apoſtoli* verba, non opus eſt illatione. Hoc vero quoque inde fluit, quod fides ſit rerum præſentium, ſpes vero futurarum, contra Pontificios.

§. 14. Infantes (4) veram atque ſalvificam poſt baptiſmum ſtatim habere fidem, probo ex *Matth. XVIII, 6.* ὃς δ' ἂν σκανδαλίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ, συμφέρῃ αὐτῷ &c. Quicquid igitur Scriptura Sacra expreſſe aſſerit, illud minime eſt negandum. Sed hoc Scriptura Sacra &c. Ergo. Nec eſt, quod hic excipiant contradicentes, Chriſtum loqui de grandiusculis, quibus jam verbum Dei fuit prædicatum, ita ut ex auditu fidem acceperint, eo quod expreſſe dicatur: *qui offenderit unum de puſillis iſtis*, infantes autem parvuli ſcandalizari vel offendi non poſſint. Reſpondetur: Chriſtus in ulnas accepit, *Marc. IX, 42.* E. ad minimum fuit talis infans, qui ex verbo Dei lecto vel audito fidem haurire non potuit. Verbum σκανδαλίσῃ hic non ſumitur paſſive, ſed active, ita ut non tam ad infantes, quam ad adultos, qui active infantes in Chriſtum credentes ſcandalizant, ſpectet. De ejusmodi namque infantibus agitur, qui ob tenerrimam ætatem ne quidem de gloria & principatu hujus ſeculi cogi-

tare possunt, quo de tum erat inter discipulos contentio: Si autem illi habuerunt fidem, quid obstat, quo minus infantes baptizati per gratiam Spiritus Sancti fidem habere queant. Insignis locus est *B. Lutheri* Tom. I. Isleb. Germ. fol. 117. Wir sagen also/ daß der frembde Glaube nicht helffe zur Seeligkeit/ wenn auch zwo Christenheit da stünden/ das Kind muß selbst glauben an Christum/ denn ich bin nicht für das Kind gebohren/ werde auch nicht für dasselbe sterben/ es hat ein eigen Tod und Geburth/ soll es leben und des Todes loß werden/ so muß es auch durch den Glauben an Christum dahin kommen. Wir bitten aber für die Kinder/ wie auch für alle Unglaubige/ predigen/ beten und arbeiten dahin/ daß die Ungläubigen und Kinder auch herzukommen und gläubig werden. ꝛc. Conf. *Tom. IV. Jenens. Germ. fol. 325.*

§. 15. Probo (5) Bona Opera non posse separari a fide, ex *Jacob. II, 20.* ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστιν. Fides mortua non est vera fides. Fides a qua separata sunt B. O. est fides mortua. Ergo. Utraque propositio partim ex citatis Apostoli verbis, partim ex contextu patet.

§. 16. Christum esse objectum fidei salvificæ (6) probatur ex *Gal. II, 16.* Εἰδότες ὅτι οὐ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ &c. Circa quod fides versatur in actu justificationis, id ejus proprium est objectum. Fides in actu justificationis versatur circa Christum & ejus meritum. Ergo. Major constat ex terminis. Minor est Apostoli.

§. 17. (7) Quemlibet de sua salute ex fide posse certum esse, probo ex *1. Tim. II. 4.* ὁ Θεὸς [πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν. Unde quilibet fidelium subsumere potest. Ego sum homo. Ergo & me Deus vult salvum habere: Dices: vult salvos habere nullos nisi credentes, sed nemo de sua fide est certus.

tus. Hoc eſt quod nego. Poteſt homo de ſua fide certus eſſe *Rom. V, 1. 2. VIII, 15. 16. 17.* ut Paulus & *Gal. II, 20.* & Jobus *Cap. XIX, 25.* poteſt in fide ſtare *1. Cor. XV, 1.* Si vero non ſtans in fide fidem deſiderat, erigitur. *Matth. V, 6. XII, 20.* ſique nondum ſenſit ſe erigi, ne ſic quidem res deſperata eſt, *Pſal. XXXI, 23.* Coll. *Job. XXX, 20. 21.* quia Deus jurat, ſe omnibus velle vitam dare *Ezech. XIIX. XXXIII, 11.* quod juramentum præſtitum eſt ex abundanti & ſuperfluo, ut omnem hominibus dubitandi cauſam præſcinderet juxta *Ebr. VI, 17. ſq.*

§. 18. Electos gratia Dei excidere, & fidem amittere poſſe (8) probatur ex *Ezech. XIIX, 24.* וּבְשׁוּב צַדִּיק מִצִּדְקָתוֹ וְעָשָׂה עָוֶל כְּכֹל הַתּוֹעֵבוֹת אֲשֶׁר־עָשָׂה רָשָׁע יַעֲשֶׂה וָחַי כָּל־צִדְקֹתָיו אֲשֶׁר־עָשָׂה לֹא תִזָּכַרְנָה׃ Ergo juſtus a ſtudio & exercitio bonorum operum ſe avertens, perdit benevolentiam Dei & remiſſionem peccatorum, transfertque ſe e ſtatu gratiæ in ſtatum iræ, ac æternæ damnationis. Conf. *2. Petr. II, 20.* Adſunt clariſſima exempla fidei Davidis per patratum adulterium, Petri per abnegationem Chriſti, excuſſæ, quæ quidem erat vere juſtificans & ſalvifica, tamen defecit, & niſi per ſpecialem Dei gratiam reparata fuiſſet, neuter fuiſſet ſalutem æternam adeptus. vid. *B. D. Johannes Gerhardus, Tom. IV. L. de Bonis operibus.* §. *134.* usque ad §. *144.*

§. 19. Objiciunt *Sociniani* contra hanc aſſertionem, quod fides ſit neceſſaria ad ſalutem, quatenus ſatisfactionem & meritum Chriſti pro objecto habet: Fides eſt, Chriſto confidere. Ergo non poteſt præteritum tempus (ſive paſſionem Chriſti) ſed futurum reſpicere: *Socinus P. IV. de Servat. c. IX. T. II. Oper. fol. 229. Oſtorodus Inſtit. Germ. c. II. fol. 22.* Sed negatur conſequentia: confunditur fides cum ſpe, quod etiam fit a *Pontificiis*: fides potius eſt apprehenſio meriti & paſſio-

passionis Christi, ejusque Iustitiæ dudum partæ, nunc autem a nobis accipiendæ & apprehendendæ, actualisque applicatio.

§. 20. Porro objiciunt *Sociniani*, ut probent, veram & salvificam fidem esse obedientiam mandatis divinis præstitam, locum ex *Rom. I, 5.* ubi dicitur ὑπακοὴ πίστεως, *obedientia fidei.* Ergo Apostolus ipse fidem nominat obedientiam. Resp. Fidem obedientiam esse, facile concedimus: requirit enim Evangelium in largiori significatu sumptum, ut in Christum credamus, cui voluntati certe morem gerere & obedire tenemur, *Joh. VI, 29.* Quæ etiam est illa ipsa fides, de qua Paulus in objecto loco agit, dum dicit, se accepisse muneris Apostolici functionem εἰς ὑπακοὴν πίστεως, ut obediatur fidei inter omnes gentes, *Rom. XVI, 26. Ebr. V, 9.* ubi Christus perfectus redditus omnibus, qui sibi obediunt, fuisse dicitur causa salutis æternæ. Inde vero non sequitur, fidem, ut est obedientia, justificare & salvare, ceu supra fuit ostensum.

§. 21. *Pontificii*, ut probent suam fidem implicitam, negentque, ad fidem salvificam pertinere quoque *notitiam*, objiciunt ex *Ebræor. XI, 1.* Fidem esse ἔλεγχον, argumentum τῶν ϐλεπομένων. Quod autem non videri potest, ejus neque potest notitia sive cognitio haberi. Sed Fides &c. Ergo. Respondetur: Aliud est videre, aliud cognoscere. Et sic majoris consequentia fallit: Fides est, omnino credere quæ non vides, uti loqvuntur *Patres*, sed inde non sequitur: Ergo cognitio sive notitia non datur, quia credenda non videri possunt. Unde, si vel maxime videre hoc loco idem esset, quod cognoscere, a negatione tamen evidentium ad negationem visionis non valeret consequentia.

§. 22. Contra *Fiduciam* objiciunt, *Ephes. III, 12.* ἐν ᾧ (scil. Χριστῷ verſ. 11.) ἔχομεν τὴν παῤῥησίαν καὶ τὴν προσαγω-

γὴν.

γινηλὼ ἐκ πεποιθήσεως λέγε τῆς πίστεως αὐτῶν. In hoc textu fides a fiducia distingvitur, ajunt *Pontificii*, ut causa ab effectu. Ergo fides non est fiducia. Resp. παῤῥησία interdum ipsam notat fidem, ceu *Ebr. III, 6. 14. & IV, 16. X, 35. 39.* interdum vero illam animi alacritatem atque fortitudinem, quæ ex fide oritur, hominemque imperterritum & confidentem reddit. Hæc sane distingvitur a fide tanquam effectus a causa; nihilominus tamen evidenter arguit, fidem solo & simplici assensu definiri non posse: nudus enim & simplex assensus istiusmodi alacritatem & confidentiam non gignit. Deinde fides distinctos, uti supra indicavi, suos habet gradus, secundum quorum diversitatem diversas etiam appellationes nanciscitur.

§. 23. Contra fidem infantum unicum argumentum, quo Adversarii utuntur, subjiciam: Quicunque verbum Dei non audiunt, illi non credunt. Atqui infantes &c. E. Maj. prob. ex *Rom. X, 17.* ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς. Resp. majorem non esse universaliter veram, quia Apostolus ibi de adultis loquitur: quicunque igitur ex adultis verbum Dei non audiunt, non credunt. Utut enim fides sit ex auditu, tamen non ex solo auditu, sed etiam per baptismum in nobis accenditur: per baptismum enim regeneramur, *Joh. III, 5.* per baptismum induimus Christum, id quod non nisi fide fieri potest *Gal. III, 24.* Bene *Wigandus in Anabapt. pag. 144.* scribit: *Licet infantes non audiant verbum Dei, quod minister verbi Dei prædicat; nam ista publica audiendi ratio pro adultis instituta est: tamen per baptismum, in quo nomen Dei sonat, Deus pro sua omnipotentia est efficax, eique sua divina operatione fidem largitur. Nam fides est opus ac donum Dei Joh. VI. & Christus Matth. XIIX. diserte inquit: qui scandalizaverit unum ex pusillis, qui in me credunt, &c.* Deinde non sunt oppositа: verbum & sacramenta, ita ut se-

quatur : Renaſcimur ex incorruptibili ſemine, nempe verbo Dei *1. Pet. I, 23.* Ergo non renaſcimur ex aqua & Spiritu *Joh. III, 5. Tit. III, 5.* Utrumque enim eſt inſtrumentum fidei & regenerationis noſtræ. Inde *Theologi Haſſiaci* in der gründlichen Außführung der Caſſeliſchen Wechſel-Schrifften *c. VII. p. 527.* Man muß den Spruch S. Pauli *Rom. X, 17.* nicht alſo verſtehen / als ob der ſeligmachende Glaube nur aus dem Gehör göttlichen Wortes / und nicht auch aus den gebrauchten heiligen Sacramenten Gottes herkäme. Denn dieſe faſſen auch das Wort des heiligen Evangelii in ſich / welches nicht weniger kräfftig iſt in ihnen / als auſſer ihnen. Denn in den Sacramenten wird es mit den ſichtbahren Elementen verbunden / und wird einem ieden in ſpecie appliciret. Vidd. *Diſpp. Gieſſ. Tom. III. Diſp. XI. Tom. IX. Diſp. X. Marpurgenſes Tom. I. Diſp. XXII. Tom. IV. Diſp. VII.* & venerandi Præceptoris mei *DN. D. Waltheri*, Theologi Wittebergenſis celeberrimi, hoc anno habita diſputatio hujus argumenti.

§. 24. Objici etiam ſolet, ſtante hac ſententia, multiplicari miracula præter neceſſitatem. Quam objectionem jam olim *Beza Reſp. 2. ad act. Colloq. Mompelg. p. 100.* protulit his verbis : *Si infantibus nondum intelligentibus a Deo confertur fides, totidem in Eccleſia conſtituentur miracula, quot naſcuntur & in Eccleſia baptizantur infantes. Atqui poſterius eſt abſurdum. Ergo & prius.* Reſpondetur diſtingvendo inter *miracula in laxiori & arctiori* ſignificatu ſumpta, item inter *mirabile ordinarie & extraordirie.* Concedi poteſt, quod actio illa, qua infanti per baptiſmum a Spiritu Sancto confertur fides, ſit *mirabilis ordinarie*, & miraculum quaſi in laxiori ſignificatu ſic dictum. Ita enim & *Chryſoſtomus L. III. de Sacerd. Lutherus Lib.* daß die Worte noch feſte ſtehen. *p. 182. Bernhardus Serm. V. in Cant.*

p. 546. in ſacramentis miracula agnoſcunt. Sed negatur, actionem illam eſſe *mirabilem extraordinarie,* ſive miraculum exquiſite tale : Deus enim hunc ordinem conſtituit, ut infantes per baptiſmum , tanquam ſalutare medium , fide donentur atque regenerentur.

§. 25. Fidem informari per charitatem, probare conantur Pontificii ex *Gal. V, 6.* πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργυμένη. *Bellarminus* addit: *Ubi ſenſus Apoſtoli eſt, fidem a charitate agi & moveri, quomodo a ſpiritu agitur & movetur corpus. Atque ita dilectio eſt forma fidei extrinſeca.* Reſp. Vox ἐνεργυμένη non in paſſiva, ſed ſecundum uſitatam Scripturæ N. T. phraſin, in media ſignificatione accipitur: alioqui etiam non δι' ἀγάπης ſed παρ' ἀγάπης Apoſtolus dixiſſet. Deinde *Bellarminus* dicit, dilectionem tantum eſſe extrinſecam formam fidei, ſi autem extrinſeca tantum, non poteſt dici, inde fidem formari: quemadmodum homo non ab extrinſeca ſed intrinſeca formatur & movetur forma, & propter hanc etiam dicitur vivus; ita & fides propter intrinſecam, non extrinſecam formam viva dici deberet. Denique charitas vel dilectio demum ſequitur fidem, nam ſine fide impoſſibile eſt Deo placere. Ergo etiam impoſſibile eſt, bonum opus Deo placens efficere abſque fide. Ergo dilectio non eſt forma fidei.

§. 26. Hominem de ſalute ſua certum eſſe poſſe, negant *Pontificii*, probantque ex *1. Cor. X, 12.* ὥστε ὁ δοκῶν ἑστάναι βλεπέτω μὴ πέσῃ. Quicunque cavere debet, ne cadat, non eſt certus de perſiſtentia. Atqui omnes fideles &c. Ergo. Reſp. Sano ſenſu totum argumentum concedi poteſt, ſi intelligatur de certitudine ſimpliciter abſoluta. Vid. *B. D. Joh. Gerhardus Tom. II. LL. Theol. Loc. de electione §. 210. & Comment. ad 2. Pet. Epiſt. p. m. 327. & B. D. Joh. Olearius in Contin. Carpzov. Iſag. p. 1661. & ſeq.* Hinc

enim nec Apoſtolus, nec quisquam orthodoxorum defendit, quia certitudo de ſalute æterna certitudinem finalis perſeverantiæ præſupponit, quæ demum in extremo mortis articulo fit abſoluta ac ſimpliciter infallibilis: antea vero non erat talis, tamen media inter certitudinem ex abſoluto electionis decreto pendentem, quam *Calviniani*; & mere conjecturalem h. e. incertam perſuaſionem, quam *Pontificii* propugnant. Ideo monet *Apoſtolus*, ne perſuaſione certitudinis de ſalute degeneremus in carnalem ſecuritatem, qua ipſa fides ſuffocatur & extingvitur, nec indulgeamus vitioſis affectibus: Niſi enim permanſerimus in bonitate Dei, exſcindemur. Non manet autem fides in illis, qui ſine indulgentia indulgent pravis affectibus, & ſic etiam de ſalute ſua æterna certi eſſe minime poſſunt. Sunt ergo hæc verba Apoſtoli non dubitationes de ſalute æterna, ſed exhortationes, ne fides posſidens certitudinem ſalutis vel ſecuritate extingvatur, vel actionibus carnis excutiatur, ſed ut exerceatur perpetuo in lucta contra carnem, ne illius petulantia amittatur gratia, Spiritus Sanctus & certitudo ſalutis reſpiciens media, per quæ Deus in fide conſervat, & ad ſalutem perducit. Deinde hæc verba cuilibet ob oculos ponunt ſuam infirmitatem, non ut fidem vel ſalutem in dubitationem conjiciant, ſed ne credentes inſoleſcant fiducia donorum, ſed ut toti a Domino pendeant, ardentius & firmius inhæreant miſericordiæ promiſſæ propter Chriſtum. Vid. *B. Chemnitii Exam. Conc. Trid. de Fide juſtificante p. m.* 165. & multis ſubſeqq.

§. 27. *Calviniani*, ut probent fidem tantum eſſe electorum (ſic enim *Wendelinus Theol. Chriſt. L. I. c. XXIV. pag. m. 439. ſeq.* inquit: *Paratum eſſe Deum ſecundum æternum ſuum decretum fidem dare omnibus & ſingulis hominibus, falſum eſt*) inter alia Scriptura loca & hunc ex *Matth. XIII*,

XIII, 11. objiciunt: ὅτι ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, ἐκείνοις δὲ οὐ δέδοται. Quæ verba etiam *Crocium* offenderunt, qui *part. II. Converſat. Prutenicæ c. XIII. p. 408. ſeq.* inter alia hoc dictum acriter urget, ut probet, fidem hominibus certis ex mero Dei beneplacito communicari, quibusdam contra ex beneplacito denegari. Nam *p. 417.* in *Concl. 3.* ait: *Cur Deus his potius, quam illis, non velit fidei ſalvificæ gratiam conferre, cur hos potius velit indurare, quam iſtos, v. g, cur Pharaonem potius quam Davidem; cur Judam potius quam Petrum, cauſa eſt merum Dei beneplacitum. Hic cauſam aliam Scripturæ nusquam exprimit.* Deinde hoc probat c. l. hunc in modum: *Quibus Deus vult fidem ſpeciali operatione conferre, illis datum eſt noſſe Myſteria regni cœlorum. At quibusdam, qui externe vocantur, non eſt datum noſſe Myſteria regni cœlorum.* Ergo. Reſp. Sic debebat formari major: Quibus hominibus Deus vult fidem ſpeciali operatione conferre, illis & vult dare notitiam myſteriorum regni cœlorum. Atqui Deus pro ſua infinita φιλανθρωπία per & propter Chriſti meritum vult omnibus hominibus per media divinitus conſtituta fidem ſalvantem dare. Ergo. Regerunt Reformati: Cur igitur non omnibus actu ipſo dat ipſam ſalvificam myſteriorum ſalutis notitiam? Reſpondetur, iſtud non fieri ex abſoluto odio & decreto Dei, ſed propria culpa hominum verbo Dei obicem ponentium, & ne radices agere, fidemque accendere poſſit, impedientium, ceu inſpectio præſentis loci docet. Cur namque reliquis non eſt datum noſſe myſteria regni cœlorum? ideo quia Chriſtum concionantem, & parabolam illam de Satore proponentem deſpexerunt, eumque ſolum reliquerunt *Marc. IV, 10. 11. 34.* Propterea etiam Chriſtus ceu juſtus judex & ultor, eos in ſua cæcitate reliquit. *Matth. XIII, 14. 15.* Deinde

de hinc etiam constat, quod Christus non solis electis dederit salvificam mysteriorum salutis notitiam: alloquitur enim *duodecim* quoque suos Apostolos & ait: *ὑμῖν vobis* datum est, nosse mysteria regni cœlorum. Si igitur Christus duodecim suis Discipulis dedit, nosse mysteria regni cœlorum. Ergo & Judæ proditori, qui fuit reprobatus, dedit. Putat quidem *Crocius*, Judam hic excludi, sicut & *Matth. XIX, 28. & Luc. XXII, 28. seqq.* Sed *Matth. XIX, 28.* Judas non excipitur: subintelligitur enim ibi, quod, si perseveraturi sint in fide, tum sint salutem & gloriam cœlestem adepturi, unde *vers. 30.* additur: *Multi primi erunt novissimi*, &c. *Luc. XXII.* autem merito excluditur Judas, quia ibi ipse jam tum secessionem fecerat ab Apostolis: Hic autem luculentam esse disparitatem, textus ipse cuivis accurate illum pensitanti, indicat. Conf. de hoc & similibus locis *B. Chemnitii Harmon. & B. Fewerborn. Syntagm. Part. I. Disp. II. per tot.*

§. 28. Porro *Calviniani* objiciunt, renatos sive fideles, ut & electos non posse amittere fidem ex *Joh. X, 27. 28. πὰ πρόβατα ἰὰ ἐμὰ ὐχ ἁρπάσει τις ἐκ τῆς χειρός μυ.* Oves Christi nemo ex manu ejus rapiet. At renati sunt oves Christi. Ergo. Concedimus totum argumentum, si de raptura perpetuo durante vel æterna sermo est, sed si quoad tempus illam rapturam fieri non posse asserunt, nego majorem. Exempla Davidis, Petri, aliorumque Sanctorum ac renatorum aliud testantur - ut & Scripturæ dicta præter adductum in *βεβαιώσει* alia, ut *1. Tim. I, 19.* Ubi Apostolus mentionem facit nonnullorum, qui naufragium fidei fecerunt. Nec est, quod ibi excipiatur, temporariam saltem, historicam hypocriticamve intelligi fidem, cum nulla alia intelligatur fides, quam illa, de qua Apostolus ferme per totum caput loquitur, h. e. fides salvifica, quam commendat

Ti-

Timotheo. Nec regerendum : non omnis, qui naufragium patitur, ſubmergitur. Naufragus enim multum a ſubmerſo differt, quia *Apoſtolus* addit, illos, qui naufragium fidei fecere, ſeſe Satanæ tradidiſſe: qui autem Satanæ traditus eſt, profecto medio in fluctu incredulitatis ſubmerſus eſt. Nec diſtinguere poſſunt circa exempla Davidis & Petri, inter fidei *ſenſum* & *uſum*: nam negata definitione, negabitur etiam definitum; ſublata forma, res perit. Ubi enim, quæſo, fiducia? ubi Chriſti apprehenſio? ubi fidei proprietates, ubi effecta? an Chriſtum rejicere eſt recipere? a Chriſto ſe avertere, ad Chriſtum ſe convertere? an eundem reprobare, fiducialiter approbare? an ſe diris devovere, Chriſto mancipare? totalem igitur fidei eclipſin ad tempus paſſi ſunt, inquit *B. Winckelmannus in Diſp. Gieſſ. Tom. II. Diſp. IV.* quam vide per tot. Quisquis committit peccatum, non manet in Deo, ſed ex Diabolo eſt *1. Joh. III, 8.*

§. 29. *Sociniani* excipiunt: *quod eorum, qui Chriſti ſunt, certus ſit & ab æterno quidem numerus. Slicht. c. Meiſn. pro Socin. fol. 39. ſeq.* Reſp. omnino certus eſt numerus, quia Deus ab æterno præſcivit vi ſuæ omniſcientiæ, juxta quam omnes res futuræ oculis ejus præſentes, nudæ & apertæ ſunt *Ebr. IV, 13.* quinam in vera fide in Chriſtum permanſuri eſſent, & qui minime. Hos, quos vidit permanſuros, elegit ad vitam æternam, hique veram fidem ita amittere nequeunt, ut nunquam eam ſint recuperaturi, hoc eſt, finaliter amittere non poſſunt: alioquin Dei omniſcientia vel præſcientia falleret, quod aſſerere blasphemum eſſet.

DISPU-

DISPUTATIO VII.

CONTROVERSIA XXV.

Homo irregenitus, utut viribus naturæ, cum adhuc habeat in rebus civilibus, non vero in ſpiritualibus liberum arbitrium, bene agere poſſe dicatur, bona tamen opera recte loquendo exercere nequit, & ad ſui converſionem, quæ non fit in inſtanti, ſed certos habet gradus, nihil confert, verum mere paſſive ſe habet, & gratiæ Dei reſiſtere poteſt, hæcque converſio, quæ alias tranſitiva, item converſio abſolute dici ſolet, differt a con-

a converſione intranſitiva, quam vocant, h. e. pœnitentia ſemper ſalutari omnibusque viatoribus neceſſaria; conſtat ea ex duabus partibus: contritione & fide; non autem novam obedientiam pro parte agnoſcit, nec in totali hominis reformatione conſiſtit, nec ſtricte loquendo eſt ſacramentum, neque prior pars, nempe contritio, tantum eſt antecedens converſionis, uti nova obedientia ejus eſt conſequens, nec eſt hominis peccatoris libera actio remiſſionisque peccatorum cauſa.

§. 1.

VAriæ etiam in hac theſi occurrunt Controverſiæ, quæ Noſtratibus cum *Pontificiis*, *Calvinianis* & *Socinianis* aliisque intercedunt. De libero arbitrio in homine poſt lapſum ſupra egimus. Adeat qui vult *B. Chemnitii Exam. Conc. Trid. Loc. de Lib. Arbitr. p. m. 118. b.* & *B. Carpzovii Iſagog. in Libb. Symbb. p. 481. ſeqq.*

§. 2. Circa B. O. irregenitorum ſive gentilium jam diu inter nos & Pontificios lis ſuborta eſt, an irregeniti viribus naturæ bona Deoque grata opera peragere poſſint ſine gratia? quod illi affirmant. Vid. *Bellarminus L. V. de Grat. & Lib. arbitr. cap. IV. p. 352. cap. IX. p. 371. 376. 378.* Noſtrates vero negant, quia lex ſpiritualis eſt, homo autem irregenitus plane carnalis, teſte Apoſtolo *Rom. VII, 14.* Et lex infirmatur per carnem, ut nequeat obſervari *Cap. VIII, 3.* Igitur ſine Dei gratia præcepta ejus ſervari non poſſunt. Atque hac ipſa ratione concludit *Svarez* Jeſuita contra *Thomam* & *Scholaſticos* alios *Lib. III. de auxil. div. grat. cap. I. Num. 3.* quia finis præceptorum Dei ſupernaturalis ſit, ideo & principium, & medium obſervationis eorundem oportere eſſe ſupernaturalia. Vid. omnino B. *Hulſemannus in AntiHag. Diſp. XVI. p. m. 770. ſeqq.* Et ideo omnia opera moralia, quæ faciunt irregeniti, ſano ſenſu peccata dici poſſunt, juxta *Aug. Conf. Apolog. p. 66. & 218.* cujus hæc ſunt verba: *Cum igitur hæreant in natura hominis contemptus Dei, dubitatio de verbo Dei, de minis & promiſſionibus*, VERE PECCANT HOMINES, ETIAM CUM HONESTA OPERA FACIUNT *ſine Spiritu Sancto, quia faciunt ea impio corde, juxta illud: quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt. Tales enim operantur cum contemptu Dei, ſicut Epicurus non ſentit ſe eſſe Deo curæ, reſpici aut exaudiri a Deo. Hic contemptus vitiat opera in ſpecie honeſta, quia Deus judicat corda.* Et ideo B. O. irregenitorum peccata dici poſſunt, quatenus ex corde impuro proficiſcuntur, & abſque fide fiunt. Bona igitur ſunt irregenitorum vel gentilium opera, & non ſunt. Bona ſunt ſecundum ſubſtantiam actus: non ſunt quoad principium, unde fluunt, & quoad finem, quo tendunt. Bona ſunt ſcil. in judicio rationis: non ſunt in judicio DEI.

Bona,

Bona, scil. civiliter, non bona, spiritualiter. Bona sunt ethice, non sunt scil. Theologice. Bona sunt quoad externam honestatem: non sunt quoad internam cum lege conformitatem, uti Nostrates solent loqui & distingvere. Adde B. *Carpzov. c. l. p. 487. seq.* cum quo omnino conf. B. *Hulsem. c. I. Disp. XVII. p. m. 820. seqq.*

§. 3. Circa Conversionem quædam olim subortæ sunt dissensiones propter non accurate observatos conversionis gradus: nam profecto homo post gratiam prævenientem, quam apprehendit, non amplius absolute irregenitus dici potest, sed tunc jam incipit lucta carnis & spiritus. Quemadmodum enim soboles in alvo materna quotidianum naturale incrementum habet: ita etiam in regeneratione vel conversione utique de die in diem homo capit incrementum in spiritualibus, habetque hæc conversio suos gradus, qui non simul uno actu vel momento vel in instanti in homine irregenito incipiuntur & perficiuntur, ut deinde post perfectam conversionem demum incipiat συνεργιστικὴ μαλομαχία. Quod B. *Chemnitius LL. CC. artic. de Lib. Arbitr. p. m. 193.* usque ad *p. 198.* prolixe docet. Notandi igitur sunt circa conversionem duplices actus: *Pædagogici* scilicet, quos & alii *ecclesiasticos* dicunt, qui quidem ad rationem intrinsecam conversionis non pertinent, ex parte tamen hominis convertendi, si converti debet, necessarii sunt: & *actus intrinseci*, quos alii *spirituales* dicunt, qui conversionis naturam ingrediuntur, eamque inchoant vel constituunt. Actus pædagogicos adhuc homo post lapsum exercere potest, non vero actus spirituales. Ad actus pædagogicos vel ecclesiasticos pertinent, & quidem *quoad intellectum*; attendere verbo Dei, legere Scripturam Sacram, intelligere verba scripturæ, h. e. sensum literalem: nam non loquimur de rebus in Scriptura S. con-

tentis, de his enim valet illud Apoſtoli ex *1. Cor. II, 14.* ψυχικὸς ἄνθρωπος δ' δέχεται τὰ τᾦ πνεύματος τᾦ Θεᾦ, &c. Hos actus pædagogicos quidam vocant primum gradum converſionis, ad quem homo libertatem quandam habet naturalem, utut gratiæ Dei acceptum ferendum ſit, quod verbum prædicetur. Hic poteſt homo verbum Dei audire & non audire, legere & non legere, &c. Ad actus pædagogicos vel eccleſiaſticos *quoad voluntatem* pertinet velle templum frequentare, velle verbum Dei audire ac legere illique attendere. De quibus actibus dicit *Form. Concord. in Decl. Solid. p. 662. Homo antequam per Spiritum S. illuminatur, convertitur &c. poteſt locomotivam potentiam ſeu externa membra regere, Evangelium audire, & aliquo modo meditari, atque etiam de eo diſſerere, ut in Phariſæis & hypocritis eſt videre &c. p. 671. Hoc Dei verbum homo etiam nondum ad Deum converſus, nec renatus externis auribus audire aut legere poteſt. In ejusmodi enim externis rebus, ut ſupra dictum eſt, homo adhuc poſt lapſum aliquo modo liberum arbitrium habet, ut ad cœtus eccleſiaſticos accedere, verbum Dei audire, vel non audire poſſit.* Ad hos actus pædagogicos etiam quidam referunt *apprehenſionem ſimplicem* verbi Dei h. e. agnitionem abſque aſſenſu, ut & *actum ſimplicis complacentiæ*, quatenus homini irregenito verbum auditum vel lectum quidem placet, quia dona inſignia obſervatoribus ſuis promittit, & propter hæc dona ſimplex quædam oritur complacentia, utut ſecunda operatio mentis non accedat, quæ aſſenſum præbere deberet, hoc eſſe infallibilis veritatis, ideo omni ſtudio eo nitendum eſſe, ut hoc verbum obſervetur, & quotidie in ejus ſcientia atque notitia perfectior reddatur, h. e. ut voluntati efficaci bona ſpiritualia, quæ verbo Dei indicantur

deſide-

desideret, quod absque gratia Spiritus Sancti homo non potest.

§. 4. Alter gradus est cognoscere & intelligere salutariter verbum Dei: hic homo nullam habet potentiam naturalem, *1. Cor. II, 14.* ideoque in auscultatione verbi maxime attenta Spiritus S. aperit mentem, ut possit homo recte considerare & intelligere. Hic libertatem resistendi homo habet, quatenus vel somnolentia necessitatem verbi contemnit, vel amore mundi ea, quæ spiritus sunt, insuper habet, vel carnali sapientia inflatus cum Festo exclamat *Act. XXVI, 24.* Μαίνῃ Παῦλε, *Paule insanis.* Habet etiam homo libertatem audita ulterius considerandi, sive promte id fiat, sive langvide; carnalibus considerationibus impeditus potest consensum suspendere vel plane denegare. Exemplum habemus in Felice *Act. XXIV, 25.* qui commotus informatione Paulina dixit: Τὸ νῦν ἔχον πορεύου· καιρὸν δὲ μεταλαβὼν μετακαλέσομαί σε. Ita Agrippa oratione Pauli commotus fatebatur: ἐν ὀλίγῳ με πείθεις χριστιανὸν γενέσθαι, *Act. XXVI, 28.* Ibi sane boni motus fuerunt inchoati, sed suppressi. Veritate jam cognita oritur ulterior motus voluntatis & compunctio, oritur lucta tum rationis tum voluntatis, an velit se Evangelio Christi subjicere, vitam in melius emendare, Christo obtemperare, & mundo valedicere, quod vocant σαρκοπνεύματομαχίαν, ubi Spiritus S. semper urget. Illud urgeri semper ac magis magisque moveri est a Spiritu S. in solidum; penes hominem est, scintillas Spiritus S. extingvere, vel iis se subjicere. Habet jam facultatem præferendi Christum mundo vel mundum Christo. Ita non uno statim momento absolvitur totum opus conversionis. In principio obscurum est desiderium, langvida assensio, obedientia tenuis. Nec est, quod hic excipiatur vel urgeatur, per omnes gradus homines gratiam exhi-

bitam amplecti, illique etiam reſiſtere poſſe, adeoque hominem cooperari ad ſui converſionem, & conſequenter ad ſui ſalutem, injuſte igitur damnari Synergismum. Reſp. Cum negamus, cooperari hominem ad ſui converſionem, nequaquam hoc volumus, quod intellectus & voluntas maneant otioſi; ſed quod ex naturalibus viribus nihil præſtent. Spiritus Sanctus operatur converſionem totam, non in momento ſimul, ſed per varios, ut audivimus, gradus, interveniente ubivis lucta carnis & Spiritus: ſingulis enim gradibus poteſt homo reſiſtere. Et ideo etiam a Theologis noſtris homo dici ſolet magis ineptus ad converſionem, quam truncus vel lapis, quia hic non poteſt reſiſtere. Si autem admittit gratiam Spiritus, habet porro libertatem utendi iſta gratia ad majus incrementum. Iſtam autem libertatem ſeu potentiam non habet a carne, ſed a Spiritu, qui bonum opus jam incepit. Quicquid igitur convertendus bene agit, id agit non ex viribus arbitrii poſt lapſum in carne reſiduis, ſi ſermo eſt de actibus ſpiritualibus, ſed ex viribus a Spiritu S. ſupernaturali influxu animæ communicatis; hæ virtutes vel dona Spiritus S. quæ initio languidius paulo ſe exerunt, creſcunt de die in diem, non cum liliis non laborantibus, non cum arboribus non cogitantibus, ſed in luctantibus: Luctam autem ſine motu noſtræ voluntatis non fieri, certum eſt. Hinc *B. Chemnitius l. c. p. m. 199. b.* reſpondens ad objectionem iſtam carnis: ſecura & otioſa voluntate exſpectabo, donec converſio juxta gradus recenſitos operatione Spiritus S. ſine meo motu abſoluta fuerit, ait: *non in puncto aliquo mathematico oſtendi poteſt, ubi voluntas liberata agere incipiat; ſed quando gratia præveniens, i. e. prima initia fidei & converſionis homini dantur, ſtatim incipit lucta carnis & Spiritus, & manifeſtum eſt, illam luctam non fieri ſine motu*

noſtræ

noſtræ voluntatis. In hac declaratione Synergismum contineri nemo dicet, ſed omnino dicendum, hominem tantum pasſive ſe habere in principio converſionis vel ante converſionem: in progreſſu autem converſionis per acceptas novas vires active ſe habet, quia ſtatim poſt gradum ſecundum, quando nimirum verbo Dei aſſenſum præbet, in illo oritur fortior σαρκοπνευμαλομαχία.

§. 5. Inprimis autem hic diſputatur contra *Pontificios*: quemadmodum enim *Pelagius* inſidias ſtruxit verbo *adjuvandi;* ita illi ludunt vocabulo *excitandi*, ceu loquitur *B. Chemnitius l. c. p. m. 194. b.* voluntque, ſicut homo excitatur ex ſomno, ita voluntatem in ſpiritualibus tantummodo quaſi ceſſantem & torpentem, ſomnolentamque excitari. Sed hic ludus & Sophiſticus & Pelagianus eſt. Scriptura enim illud *ſurge qui dormis* ita interpretatur: ſuſcitare a mortuis. *Epheſ. V, 14.*

§. 6. Contra *Calvinianos* notandum, quod maximum errent errorem, docendo, hominem gratiæ Dei reſiſtere non poſſe, omnemque voluntatem Dei circa hominum ſalutem eſſe abſolutam & ſimplicem, & converſionem hominum fieri per vim & gratiam divinam ſimpliciter irreſiſtibilem, & ubi concurrit voluntas & potentia Dei, ibi ſemper effectum produci. Si enim Deus velit aliquid efficere, & tamen id non efficiat, cauſam nullam aliam aſſignari poſſe, quam impotentiam, dicunt, quæ tamen a Deo abſit. Vid. *Piſcator part. III. Reſponſ. ad Duplicat. Vorſtii p. 6. 15. 150.* & pasſim. *Pareus in lib. 1. Bellarm. de grat. & lib. arbir. c. XI. p. 141. 142. & in lib. V. c. XV. p. 1094.* Sed falſum eſt, quod divina voluntas, qua de nunc agitur, circa noſtram ſalutem ſit abſoluta & ſimplex, quia eſt ordinata, ſeu mediis divinitus præſtitis incluſa *1. Cor. I, 21. c. III, 5. 2. Cor. V, 19. 20. Gal. I, 15. 16.* Falſum etiam eſt, quod homines con-

ver-

vertantur per vim & gratiam divinam ex abſoluto decreto ſimpliciter irreſiſtibilem: nam gratia Dei ſalutifera & meritum Chriſti ſunt univerſalia *Tit. II, 11. Joh. III, 16. & 2. Corinth. V, 15. Ebr. II, 9.* & paſim. Nec indiſtincte verum eſt, quod ubi concurrit voluntas & potentia Dei, ibi ſemper producatur effectus: Quippe diſtinguendum eſt inter voluntatem ſimplicem & ordinatam, ubi voluntas Dei ſimplex & potentia, ideoque creatio certo & irrefragabiliter facta eſt: Aſt ubi concurrit voluntas Dei ordinata & potentia, ibi effectus divinitus intentus tum non ſequitur, quando homo ordinem divinum negligit & ordinata divinitus media ſpernit. Conf. exemplum voluntatis divinæ ordinatæ *Jerem. XXXIIX, 2. ſeqq. c. XXXIX, 1. ſeq.* Falſum itaque eſt, quod, cum effectus, quem Deus vult, non producitur, tum nulla alia cauſa, quam Dei impotentia aſſignari poſſit: cauſa enim iſta eſt malitia hominum, media a Deo conſtituta contemnentium.

§. 7. Pœnitentiam ſemper eſſe ſalutarem negant *Sociniani.* Audiamus *Slichtingii* verba ex *Diſp. contra Meiſnerum Qu. I. fol. 25. Si ſit homo, qui in peccatis manſerit eousque, ut ei non amplius tantum temporis ſuppetat, ut vitam & mores emendet, utpote cui moriendum jam ſit, quicquid tandem lacrymarum profundat, & quamcunque in partem ſe verſet, vi novi fœderis damnandus eſt.* Sed hoc eſt falſiſſimum, & *Novati* jam olim damnatus error, quia Deus gratiam ſuam nulli homini eam deſideranti, quamdiu adhuc in hoc gratiæ ſeculo verſatur, ſubtrahit, qui ſua agnoſcit peccata, illa confitetur, dolet ſerio & in Chriſtum credit, quovis tempore etiam in agone & ultimo vitæ momento remiſſionem eorum conſequi poteſt: Quippe Deus non vult mortem peccatorum, nec ut quisquam pereat, ſed ut omnes ad agnirionem veritatis perveniant *2. Pet. III, 9.*

III, 9. 1. Tim. II, 4. & quacunque hora impius converſus fuerit ab impietate ſua, vivendo vivet, non morietur. *Ezech. XIIX, 21.*

§. 8. Neceſſariam eſſe pœnitentiam, *Smalzius D. II. de Pœnitentia c. Franz. fol. 357.* negat his verbis: *Quidam ſervari poſſunt ſine pœnitentia, ſine operibus vero bonis nemo prorſus.* Sed & hoc falſum eſt, atque a Noſtratibus negatur & potius invertitur: cum omnes homines ſint peccatores, peccata autem non niſi antegreſſa pœnitentia per gratiam remittantur, ideo ſæpisſime peccatores in Scriptura, ut pœnitentiam agant, admonentur; ergo etiam pœnitentia eſt neceſſaria. Bona opera quidem ſunt neceſſaria propter mandatum Dei, non autem ad ſalutem æternam ſunt neceſſaria.

§. 9. De Partibus pœnitentiæ Adverſarii diverſas fovent ſententias: Imo *Calviniani* ipſi inter ſe invicem hic non conveniunt: cum autem ſententiæ illorum ſint multivariæ, inſtitutum noſtrum non permittit omnes allegare. Cui placet, confer. *D. Eckhard. Faſcic. Controverſ. inter nos & Calvin.* Communiter autem docent, *mortificationem* & *vivificationem* eſſe genuinas partes pœnitentiæ. Vid. laud. *Eckhardus in Diſpp. Gieſſ. Tom. III. Diſp. V. §. 10. p. 140.* ubi etiam prolixe per totam ferme diſputationem varias variorum citat ac refutat. *Pontificii* diſſentiunt quoque nobiscum alias partes enumerantes, nempe *Contritionem, Confeſſionem* & *Satisfactionem;* atque hos actus ajunt in pœnitente requiri ad plenam & perfectam remiſſionem peccatorum ex Dei inſtitutione. *Conc. Trid. Seſſ. XIV. c. 4. Bellarminus* ſtatuit, hos actus in pœnitente concurrere ad remiſſionem peccatorum efficiendam, quatenus vim ſacramentalem a verbo abſolutionis, a quo formentur, participent. *L. 1. de pœnit. c. 8. & c. 2. ad remiſſionem peccatorum concur-*

rere, ſcribit, *tria: meritum Chriſti, virtutem ſacramenti & diſpoſitionem per ipſam pœnitentiam.* Sed hæc contraria eſſe ſacræ Scripturæ, facile perſpicitur: nam ſi hi tres actus, quos *Conc. Trid.* aliique Pontificii numerant, perficerent pœnitentiam, ſane Cain & Judas omnium peccatorum egiſſent pœnitentiam optimam. In Caino & Juda erat *Contritio:* Ille clamabat ex nimio de peccato dolore: *Major eſt iniquitas, quam ut remitti poſſit. Geneſ. IV, 13.* hic: *peccavi prodito ſanguine innoxio, Matth. XVII, 4. Confeſſio:* uterque enim confitebatur peccatum. *Satisfactio:* ſi non in Caino, in Juda tamen pretium iniqvum renumerante & ſeipſum ſuſpendente. Sed quis non videt, hanc contritionem & confeſſionem nihil ad converſionem præſtitiſſe, quæ utraque Deum iratum fugit: ſatisfactio autem, potius fiduciam in nobis & noſtris operibus gignit, & ſolum in avertenda pœna temporali occupata eſt. Pœnitentiam non eſſe ſtricte ſic dictum ſacramentum, facile patet ex Noſtratium ſacramenti definitione: *Sacramentum eſt ſacra & ſolennis actio a Deo inſtituta circa rem certam & viſibilem, peculiari verbo inſtitutam, per quam Deus, quantum in ſe eſt, nobis applicat & obſignat gratiam in verbo promiſſam.* Sed mirum non eſt, Pontificios etiam pœnitentiam habere pro Sacramento, cum Sacramentum definiant *per ritum ſacrum a Deo inſtitutum cum promiſſione gratiæ.* Vid. *B. Hulſemannus in AntiHagero Diſp. X. de Pœnitentia p. m. 391. ſeqq.* Deinde Scripturæ adverſatur, quod proprie diſpoſitioni & actibus pœnitentis vim aliquam efficiendæ peccatorum remiſſionis & juſtificationis adſcribunt, cum illa hominem nusquam propria diſpoſitione aut alio actu, ſed ſola fide ſine operibus juſtificari, affirmet. *Sociniani* etiam hic nobiſcum non conveniunt, non fidem, ſed novam obedientiam pro parte pœnitentiæ

agno-

agnoſcentes, quæ tamen eſt effectus fidei, adeoque' conſequens pœnitentiæ, non vero pars pœnitentiæ. Nec facio cum illis, qui ſolam fidem formaliter eſſe converſionem vel pœnitentiam, contritionem vero, uti novam obedientiam conſequens pœnitentiæ, ita antecedens eſſe cenſent, cum Scriptura S. quando de pœnitentia ὁλικῶς accepta loquitur, has duas partes: contritionem & fidem; ſemper conjungat. Conf. *Matth. XXI, 32. Act. XIX, 4. XXVI, 18.*

§. 10. *Sociniani* porro volunt, pœnitentiam in totali hominis reformatione conſiſtere. Ita enim *Smalzius contra Franz. fol. 456. Pœnitentia (ut etiam vox Græca* μετάνοια *indicat) eſt integra hominis reformatio, qua eos, qui animum ſemper retinent integrum, non egere, res ipſa loquitur.* Hæc ſententia videtur convenire cum Pontificiorum ſecunda poſt naufragium tabula, uti *Caniſius in Catechiſmo cap. IV. ad Quæſtionem: quid ſit pœnitentia?* reſpondet: *Pœnitentia eſt ſecunda poſt naufragium tabula, & neceſſarium relapſis ſacramentum, in quo remiſſio peccatorum & a reis petitur, & a ſacerdotibus tribuitur.* Sed Noſtrates hoc negant, & docent, neque eſſe reformationem totalem in ſenſu Sociniano, quia hoc eſt ἄγραφον & ἀνπίγραφον; nam nova obedientia non eſt forma, ſed conſequens pœnitentiæ, ut jam dictum. At reformatio hominis & emendatio vitæ eſt nova obedientia. Ergo. Deinde, pœnitentia eſt via ad reformationem & vitæ emendationem, *Rom. VI, 22.* Ergo non eſt ipſa reformatio. Via non eſt viæ terminus. Vid. B. *Scherz. Colleg. AntiSocin. p. m. 788.* Neque ſecundam eſſe poſt naufragium tabulam, per quam *Pontificii* intelligunt novi fœderis inſtitutionem & a parte Chriſti & noſtrum, quod cum Scriptura S. pugnat, quæ plurimis locis docet, fœdus, quod Deus nobiſcum in baptiſmo inivit, caducum, fragile, momentaneum aut

temporarium minime esse, sed immotum, firmum, perpetuum & sempiternum *Oseæ II, 19. Esa. LIV, 10. 2. Tim. II, 13. Rom. XI, 29.* ad quod homini post baptismum, etsi per peccata forsitan exciderit, per pœnitentiam & fidem semper datur regressus. Uti in regressu conjugum post divortium non opus est nova copulatione; ita in regressu ad Deum post peccata non opus est novo fœdere. Vid. *cit. Disp. D. Eckhardi p. 141. §§. 9. & 14. seqq.*

§. 11. Contritionem esse liberam actionem, defendunt *Pontificii*, & e contrario negant esse passionem. Vid. *Concil. Trid. Sess. XIV. c. IV. Bellarm. L. I. de Pœnit. c. 19. Propos. 1.* Nostrates autem affirmant posterius & negant prius, Vid. *August. Conf. Art. XII. Apol. p. 165. seqq.*

§. 12. Contritionem esse peccatorum remissionis causam, affirmat *Bellarminus l. 2. de Pœnit. c. 2. Propos. 4. & c. 8. it. c. 12.* ubi ait: *Catholici communi consensu docent, contritionem causam esse remissionis peccatorum.* Hoc vero pugnat cum Scriptura S. quæ in plurimis locis docet, non justificari hominem per bona opera, quale & contritio est, si cum fide conjungatur, *Rom. III. IV. Gal. II. Ephes. II.* remissio autem peccatorum justificationis formale est, scil. καθ' ἄφεσιν, quæ etiam semper includit formale κατὰ θέσιν, imputationem Justitiæ Christi. Nulla enim remissio peccatorum absque imputatione Justitiæ Christi obtingere potest. Ergo non per contritionem nobis acquirimus Justitiam Christi; nam per gratiam Justitia hæc nobis imputatur.

§. 13. Βεβαίωσις: Gentilium opera sano sensu omnia esse peccata, probatur ex *Matth. VII, 17.* τὸ σαπρὸν δένδρον καρποὺς πονηροὺς ποιεῖ. Quod homo fidelis sæpe a Theologis nostris assimiletur arbori fructiferæ, notum est: quemadmodum autem bona arbor bonos fert fructus, arbor putris

tris mala ; ita homo fidelis facit bona opera , infidelis mala. Hoc argumento ipſe Pontificius Doctor *Ferus in Comment. in h. l.* utitur, ita ſcribens : *Soli fideles bona opera faciunt : ratio hujus eſt, quia ſine fide & gratia homo nihil aliud eſt quam infructuoſa arbor ; non igitur poteſt bonos fructus ferre.* Optime hac de re loquitur B. *Chemnitius LL. CC. De peccatis actualib. p. m. 256. a. Omnia opera, quæ fiunt ab illis , qui per fidem non ſunt facti membra Chriſti, & Deo reconciliati, pertinent ad definitionem peccati actualis. Exigit enim Deus, ut opera , quæ per ſe & ſuo genere bona ſunt, fiant eo modo, ſicut in lege præſcribuntur. Eſt ergo ἀνομία, quando non congruunt ad normam legis , credentibus vero imputatur perfecta impletio legis, præſtita per Chriſtum.*

§. 14. Converſionem non fieri in inſtanti, nec hominem quicquam ad eam conferre, probatur ex *Phil. II, 13.* Ὁ Θεός ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας. Ubi *Apoſtolus* ipſe diſtingvit inter velle & perficere; prius Deus dat velle : poſtquam autem Deus hoc velle dedit, oritur συρκοπτόμαπμαχία ; deinde Deus etiam dat perficere. Ad hæc homo ſibi relictus ex viribus naturalibus nihil confert , quia eſt opus Dei ex mera gratia & benevolentia. In quacunque igitur actione diſtingvitur velle & perficere , & ſoli Deo adſcribitur , illa non fit in inſtanti & ad eam homo nihil confert. Sed in Converſione, &c. Ergo. Major probatur , quia velle & perficere differunt ut initium & finis operis , & omne velle antecedit perfectionem operis , imo nudam voluntatem & perfectionem operis quis diſtingvi negabit? Cætera ex terminis ſunt manifeſta. Minor eſt in textu , in hoc & præced. verſ.

§. 15. Hominem gratiæ Dei reſiſtere poſſe , proba-

tur ex *Act. VII, 51.* Σκληροτράχηλοι, καὶ ἀπερίτμητοι τῇ καρδίᾳ καὶ τοῖς ὠσὶν, ὑμεῖς ἀεὶ τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ ἀντιπίπτετε, ὡς οἱ πατέρες ὑμῶν καὶ ὑμεῖς. Quoscunque Deus ideo vocat duros cervice & incircumcisos corde & auribus, quod semper Spiritui S. se objiciunt, sicut eorum Patres, illi ipsi propria atque libera voluntate Spiritui S. resistunt & resistere possunt. At quosdam homines Deus ideo &c. Ergo. Maj. prob. Quia alioquin Deus falleret; quod absque blasphemia nec cogitare licet, qui ideo culparet malos, quod fecerint, quæ ipse voluerit. Minor est Spiritus S.

§. 16. Pœnitentiam semper esse salutarem & necessariam, probatur ex *Ezech. XIIX, 21.* וְהָרָשָׁע כִּי יָשׁוּב מִכָּל־חַטֹּאתָו אֲשֶׁר עָשָׂה וְשָׁמַר אֶת־כָּל־חֻקּוֹתַי וְעָשָׂה מִשְׁפָּט וּצְדָקָה חַיֹּה יִחְיֶה לֹא יָמוּת: Quodcunque remedium ipse Deus præscribit, illud est salutare & necessarium. Sed pœnitentiam ipse Deus præscribit. Ergo. Major est verissima. Minor constat ex allegatis verbis. Quæ circa hunc locum *Sociniani* excipere solent, vid. in *B. Scherz. Colleg. Anti-Socin. p. m. 789. & 792.*

§. 17. Pœnitentiam duabus absolvi partibus: contritione & fide; probatur ex *Marc. I, 15.* μετανοεῖτε, καὶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ. Observandum, quod in Scriptura S. vocabulum pœnitentiæ sæpe μετανοῶς pro contritione, fidei contradistincta, ut *Act. XX, 21.* & jam allegato loco; sæpe ἐπιστρῶς pro contritione, fidei conjuncta, *Matth. III, 2.* accipiatur. Sicque patet, Spiritum S. ipsum duas facere pœnitentiæ partes. Cætera, quæ adhuc probari possent, puto jam tum esse probata, & forsan ex responsionibus ad objectiones adhuc prolixius probabuntur. Igitur brevitatis causa hic plura addere non placet.

§. 18. Objicitur, Gentilium opera non esse peccata, ex *Rom. II, 14.* Τὰ ἔθνη φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῶ. Quicunque facit, quæ legis sunt, non peccat. Atqui Ethnici &c. Ergo.

go. Reſponſio facilis eſt & ſupra in diſtinctionibus circa hanc rem jam ſuppeditata. Major enim eſt limitanda: Quicunque facit, quæ legis ſunt, *ita ut actio hæc fiat ex vero principio, ſcil. ex fide in Chriſtum, & ad verum atque bonum tendat finem*, non peccat. Sed ſic negatur minor.

§. 19. *Pontificii*, ut probent, hominem ad ſui converſionem aliquid ex viribus naturæ conferre, & ad hanc ſe non tantum paſſive habere, ſed eam eſſe actionem, quæ fiat ex libera voluntate, objiciunt loca adhortantia, & inter cætera quoque *Joel. II, 13.* וְקִרְעוּ לְבַבְכֶם וְשׁוּבוּ אֶל־ יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם: Impoſſibilia non præcipiuntur: ſed converſio præcipitur. Ergo non eſt homini impoſſibilis. Equidem major non eſt perpetuæ veritatis. Legis enim obſervatio perfectiſſima præcipitur, cum tamen homini impoſſibile ſit illam totaliter implere, ut Deus tantum oſtendat, quid a nobis, ſi juxta rigorem juſtitiæ ſuæ nobiscum velit procedere, merito poſcere poſſit. Ad minorem interim reſpondeo, latere ambiguitatem in vocabulo converſionis: alia eſt converſio paſſiva, quæ ſolius Dei opus eſt, alia activa, quæ & pœnitentia dicitur, quia poſt converſionem paſſivam homo ipſe ex gratia Dei ſe convertit active, juxta *Jerem. XXXI, 18. ſeq.* *Converte me Domine, & convertar:* poſtquam autem (paſſive) converſus fuero, etiam (activam) pœnitentiam agam. Poſtquam enim Spiritus ſic hominem convertit, homo ipſe incipit peccata agnoſcere & in Chriſtum credere: Spiritus S. cor conterit; ſed homo ita contritus, non ipſe Spiritus S. peccata agnoſcit. Vid. *B. D. Scherz. Syſt. Theol. Loc. XI. de Converſ. §. 11. p. 291.* Atque ita vocabulum converſionis hic in minore pro converſione activa ſumitur, ſicque concedo totum argumentum.

§. 20. Hominem gratiæ Dei non poſſe reſiſtere, probant *Calviniani* ex *Rom. IX, 19.* Τῷ βουλήματι αὐτοῦ τίς ἀνθί-

ἀνθέστηκε; Hæc quæstio indicat impossibilitatem, quod nemo possit voluntati divinæ resistere. Sed resp. *Absolutæ voluntati* omnino nullus hominum potest resistere, potest autem resistere *voluntati ordinatæ*, quod ex multis patet *Scripturæ* dictis *Oseæ II, 14. 19. Proverb. I, 24. Matth. XXIII, 37.*

§. 21. *Sociniani*, ut probent, pœnitentiam non semper esse salutarem, objiciunt: *Etiamsi homo animum mutet, nisi detur occasio istam animi mutationem reipsa testificandi, valde dubium est, an talis pœnitentia sufficiat.* Ita *Smalz. contra Franz. fol. 299. 389.* Resp. distingvendum esse inter testificationem internam & externam: potest homo pœnitens animi sui mutationem h. e. pœnitentiam suam testificari, si non operibus externis, tamen internis, quæ Deus æque ac externa videt, quia omnia sunt nuda & patentia oculis Dei, *Ebr. IV, 13.* homo quidem respicit, quæ sunt ante oculos: Deus autem respicit cor. Imo hæc pœnitentia sæpissime prævalet isti, quæ suam testatur operibus externis contritionem & fidem, cum & pessimi hypocritæ optima sæpe, quantum homo judicat, opera præstare possint, quæ tamen coram Deo omnia sunt peccata, quia non ex vera oriuntur fide.

§. 22. Non necessariam esse pœnitentiam, nec hominem ea egere, probant ex *Luc. XV, 7.* λέγω ὑμῖν ὅτι οὕτω χαρὰ ἔσται ἐν τῷ οὐρανῷ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι, ἢ ἐπὶ ἐνενηκονταεννέα δικαίοις, οἵτινες οὐ χρείαν ἔχουσι μετανοίας. Si quidam non opus habent pœnitentia, sequitur, non omnibus eam esse necessariam. Sed prius est. Ergo. Resp. Christus parabolam hanc proponit Pharisæis & Scribis se ipsos justificantibus, imo & aliis mera opinione justis, quod textus indicat: nam vere justus in oculis Dei tantum valet, angelisque tantum gaudium excitat, quantum unus peccator pœni-

pœnitens : Alias Christus minime novem & nonaginta justis unicum peccatorem pœnitentem oppositurus fuisset. Hoc facile largior, unum peccatorem pœnitentem in oculis Dei plus valere, angelisque majus parere gaudium, quam nonaginta novem mera opinione justos, seque Pharisæorum more justos deprædicantes. Nego igitur minorem, si in sensu Sociniano sumatur, qui putant, ex mente Christi non opus esse pœnitentia, cum tamen Christus ex mente Pharisæorum loquatur, statuentium, se non opus habere ulla pœnitentia, semperque juste, pie, & sancte vivere.

§. 23. Pœnitentiam in totali hominis reformatione consistere, probant ex voce μετάνοια. Sed hoc negant Nostrates. Concedunt quidem, μετάνοιαν esse mutationem mentis, sed non sensu *Sociniano*. Scriptura enim per μετάνοιαν mutationem mentis in proposito, non in actuali bonorum operum exercitio, intelligit. Talis enim mutatio animi, non pœnitentia, sed pœnitentiam sequens nova obedientia est. Conf. *B. Scherz. Colleg. AntiSocin. p. m. 787. seqq.*

§. 24. Fidem non esse partem pœnitentiæ, probant *Pontificii*, inprimis *Bellarminus l. 1. de Pœnit. p. 113. Partes pœnitentiæ illæ actiones censendæ sunt, quæ a virtute pœnitentiæ manant. Atqui credere, non pœnitentiæ, quæ virtus est moralis, sed fidei, virtutis Theologicæ, actio est. Ergo.* Resp. Argumentum procedit ex falso præsupposito. Pœnitentia enim non est virtus sive habitus electivus, sed ἀποτέλεσμα ex conjuncta legis & Evangelii prædicatione operationeque enatum: ac proinde illi demum actus veræ sunt pœnitentiæ partes, qui proprie legis & Evangelii prædicationi respondent. Vid. *Eckhard. l. c. & Pandect. Controvers. cap. XXIV. p. 277.*

§. 25. *Calviniani* negant, contritionem esse partem

pœnitentiæ, quia contritio pœnitentiam præcedat, quod probant ex *Act. II, 37.38.* ubi illis, qui jam tum compuncti erant, dicitur μετανοήσατε. Quod pœnitentiam præcedit, non eſt pars pœnitentiæ. Sed contritio &c. Ergo. Ad hanc objectionem idem reſponderi poteſt, quod *B. Hulſemannus in AntiHagero* ad illud *Pontificiorum* argumentum: *Fides eſt prior pœnitentia, ut patet exemplo Ninivitarum, qui primum crediderunt, quosque deinceps pœnituit, non igitur pœnitentiæ pars;* reſpondit: nimirum non ſequi: non poſſe id, quod ſive tempore ſive ordine prius eſt, poſteriorem partem eſſe. Et pergit: *Annon Lojola tempore & ordine Societate ſua prior, pars ſocietatis fuit. Quæ integrantur ex aggregatione partium, eorum pars plerumq; toto prior eſt.* Vid. *AntiHag. Diſp. X. de pœnit. p. m. 407.*

§. 26. Pœnitentiam proprie loquendo eſſe ſacramentum, probant *Pontificii* ex noſtris *Libb. Symbb.* ubi expreſſe abſolutio & pœnitentia *vere* & *proprie* dicitur ſacramentum, ut in *Apol. A. C. p. 167.* & *200.* Reſp. Ideo de induſtria in theſi dixi, non eſſe *ſtricte* loquendo ſacramentum: *ſtricte* & *proprie* omnino differunt. Sacramentum dicitur pœnitentia vel abſolutio generaliori ſignificatu, quod etiam verba *Apologiæ* indicant: *Si ſacramentum vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus addita eſt promiſſio gratiæ, facile eſt judicare, quæ ſint proprie ſacramentum &c.* Atque ita abſolutio in *Apol.* hypothetice & laxius ſacramentum dicitur: nam ſtricte ſic dictum ſacramentum præter verbum inſtitutionis & promiſſionis gratiæ N. T. propriæ, requirit etiam externum ac viſibile elementum divinitus inſtitutum, cui hæc gratia tanquam ſigillo eſt annexa.

§. 27. Quod Contritio ſit actio libera atque elicita, probant *Pontificii*, quia a Deo præcipitur, ut *Matth. III, 2.*

III, 2. μετανοεῖτε. Ergo est actio libera. Sed jam tum supra indicavi, non omne, quod præcipitur, esse in nostra libertate. Nam tota legis impletio præcipitur, cum tamen impossibile sit homini, etiam regenito implere omnia præcepta legis: nam quando legem dicitur impleviſſe, respectus habetur ad impletionem Christi, quam sibi regenitus vera fide applicat. Quod autem per se impossibile est, illud non est in hominis libertate positum. Deinde quod non sit actio, etiam ex supra dictis patet, ubi indicavi, non omnia verba adhortantia designare actionem: Et posito, dari quasdam in conversione vel in contritione, si vocabulum in laxiori significatu sumas, actiones, his tamen solis tota non absolvitur vel finitur. Dari actiones in contritione, probat *B. D. Eckard. Pand. Controverſ. Part. II. Cap. XXIV. Qu. V. p. m. 283.* ita gradus contritionis enumerans: nos dicimus, in contritione quinque esse gradus (1) in memoria peccati recordationem (2) in mente offensæ divinæ considerationem (3) in voluntate peccatorum agnitorum detestationem, quam forinsecus testatur pectoris tusio, oculorum illachrymatio, & oris confessio. (4) In corde timorem futuri judicii (5) Denique in conscientia legis cauterio vulnerata compunctionem, morsum, horrorem atque dolorem. Etsi igitur gradus illos, qui in actione consistunt, non excludimus, tamen contritio potius denominatur a gradibus posterioribus, quam a prioribus, estque formaliter opus Dei per legem corda nostra saxea conterentis *Jerem. XXIII, 29.* & conscientias intus stimulantis atque pungentis. Communiter namque Theologi nostri inter B. O. & contritionis actus distingvunt. Contritionis actus dicunt non tam esse nostra B. O. quam Dei opus in nobis, ad quod nos passive potius, quam active habeamus. Ita *Theologi Duc. Saxon. in Colloquio Altenburgenſi fol. 71. fac. b.* ad-

ducunt verba *Lutheri in Disput. de veste nuptiali*, dicentis: Wenn wir von der Contrition recht reden wollen / was sie sey / so ist sie nicht unser Werck / sondern ist vielmehr pasio nostra, dadurch wir zerknirschet und zerschlagen werden / ꝛc. GOtt selbst muß uns und unser Hertz zerknirschen und demüthigen.

§. 28. Contritionem esse peccatorum remissionis causam, probant *Pontificii* ex *Luc. VII. 47.* ἀφέωνται αἱ ἁμαρτίαι αὐτῆς αἱ πολλαί. ὅτι ἠγάπησε πολύ. Et addit *Bellarminus L. 2. de pœnit. c. 12. p. 186. Hoc loco dilectio sive contritio ex dilectione, quam lachrymæ testabantur, apertissime dicitur esse causa remissionis peccatorum, siquidem particula illa, quoniam, causalis est.* Hoc vero negant Nostrates, dictumque hoc ita explicant: Quia ei multa peccata remissa sunt, ideo multum dilexit; particula ὅτι non ἀποδοτικῶς sive causaliter, sed ἐκβατικῶς sive eventualiter sumpta. Quemadmodum ille, cui majus remitto debitum, magis etiam me amat, quam ille, cui minus remisi; ita etiam, cui plura peccata remittuntur, plus quoque amat, quam cui pauca. Et ita patet, mulieri non propter dilectionem remissa esse peccata, sed propter remissionem peccatorum isthanc dilexisse Christum.

DISPU-

DISPUTATIO VIII.

CONTROVERSIA XXVI.

Juſtificatio, quæ una eademque in V. æque ac N. T. eſt, forenſem & judicialem obtinet ſignificationem, cujus formale conſiſtit in poſitione vel imputatione meriti Chriſti, quod obedientiam activam & paſſivam includit, & remotione vel remiſſione peccatorum, fitque per ſolam fidem, h. e. ita ut plane nulla B. O. quocunque etiam nomine veniant, negotium juſtificationis ingrediantur, nec ad juſtificatio-

nem & ſalutem neceſſaria, vel etiam conſervare fidem & ſalutem, aut acquiſitum jus adeundi vitam æternam dicenda ſint.

§. 1.

PRimo quidem cum *Socinianis* controvertitur de uno eodemque in V. ac N. T. modo juſtificandi, quem illi negant; imo addunt, juſtificationis articulum in V. T. fidelibus prorſus incognitum fuiſſe. Sic ſentit cum cæteris & *Smalzius contra Franz. p. 93. ſeq. Plane diverſo modo juſtificati fuerunt illi, qui ante Chriſtum vixerant, ab eo, quo Chriſtiani juſtificantur. Nam primum juſtificatio non fuit propoſita vel fœderi incluſa: Deinde fides illorum nihil commune habet cum ea, qua nunc homines juſtificantur.* Duo, uti dixi, his verbis indicat: partim, juſtificationis modum non eſſe eundem in V. ac N. T.; partim, juſtificationem, quæ ex fide oritur, in V. T. non eſſe propoſitam. Quod utrumque falſiſſimum eſt, & ſactis literis e diametro contrarium, uti in *βεβαίωσι* indicabimus.

§. 2. *Pontificii* negant, *Juſtificationis* vocabulum forenſem & judicialem obtinere ſignificationem, idemque eſſe ac juſtum declarare; contra ea dicunt, per vocabulum *juſtificare* intelligi infuſum gratiæ habitum, vel *juſtificare* idem eſſe ac juſtitiam infundere. *Coſterus in Enchir. p. 227.* hac de re ita ſcribit: *Juſtificare ſignificat juſtum facere, ſeu juſtitiam dare, ſicut calefacere ſignificat calidum facere, ſeu calorem dare.* Confer. *Bellarminus l. 2. de Juſtif. cap. 3.* expreſſe negans, vocabulum juſtificationis habere ſignificationem forenſem, ſed indicare infuſum gratiæ habitum.

Noſtra-

Noſtrates vero docent, h. l. non quæri præcipue, quid verbum juſtificare juxta analogiam grammaticam & compoſitionem vocum latinarum ſimilium, ſed quid juxta analogiam fidei Biblicam ex mente Spiritus S. in hoc negotio ſignificet? Deinde nec præciſe hic quæri, quomodo vocabulum juſtificare in quibusdam locis Scripturæ explicari poſſit; ſed quomodo in his locis, quæ agunt de hominis peccatoris coram Deo juſtificatione, ſit explicandum? ut-ut hactenus *Pontificii* nullum adhuc attulerint locum ulla exceptione majorem, quo probare poſſint, *juſtificare* idem eſſe ac *juſtitiam infundere*.

§. 3. Circa juſtificationis formam *Pontificii* varie errant: (1) negant, ſola fide hominem juſtificari coram Deo, qua de re ſupra diſpeximus. (2) opera, aſſerunt, meritoria juſtificationis, quam vocant, ſecundæ, & æternæ beatitudinis. (3) juſtificationem primam quoad jus ſalutis, & ſecundam quoad fruitionem ejus (invitis & repugnantibus Scripturis) diſtingvunt. (4) juſtificationem quidem primam gratuitam, ſed ſecundam meritoriam faciunt. (5) volunt, gratiam non immediate diſponere hominem ad æternam gloriam, ſed tantum ad B. O. ſive juſtificationem ſecundam. Conſequenter (6) ſola B. O. cauſam immediatam æternæ ſalutis fingunt. Quas ſententias omnes ſtudioſiſſime refutavit B. *Scherzerus Brev. Hulſ. enucleato, cap. XI. Theſ. II. ſeqq. p. 640. ſeqq.* Nos jam tantummodo, quid de forma duplici modo conſiderata ſentiant, adferemus: nam quod ad primum membrum attinet, expreſſe negant, quod Juſtificatio fiat per imputationem Juſtitiæ Chriſti, de quo ſupra citati auctores videri poſſunt; quibus adde *Conc. Trid. Seſſ. VI. Can. X. XI. Coſter. in Enchirid. cap. VI. Bellarm. l. 2. de Juſtif. c. II. IV. VII.* Qui & alterum membrum citato loco negat, urgetque internam renovationem.

§. 4.

§. 4. Hæc duo membra ad formam juſtificationis communiter a Noſtratibus referri ſolent: Utut enim forma juſtificationis, uti cujuslibet rei, una ſit, prout tamen in præſenti ſumitur, ἄφεσιν ac θέσιν complectitur, ita ut, qui geminam formam dicunt, nil aliud quam geminum Dei actum, privativum ac poſitivum, eſſe intelligant, quia neutra pars absque altera eſſe poteſt: ubi enim imputatio meriti Chriſti eſt, ibi etiam eſt remiſſio peccatorum, & contra.

§. 5. Obedientiam Chriſti activam noſtri loco a Chriſto Patri ſuo præſtitam *Piſcator* impugnavit, verba ejus ad Paſtores Gallicanos, Wappinei Anno 1603. congregatos, hæc ſunt: *Obedientiam vitæ* (hanc nos dicimus obedientiam activam) *habuit Chriſtus nobiscum communem, quatenus obligatus ad eam erat, ut verus homo: ad obedientiam vero mortis* (hanc nos dicimus obedientiam paſſivam) *pro electis obeundæ ipſe ſolus obligatus fuit, idque per voluntariam ſponſionem.* Et paulo poſt: *In hoc a me diſſentitis*, ait ad Gallicanos Paſtores, *quod ego doceo, Chriſtum per ſolam obedientiam mortis remiſſionem peccatorum meritum eſſe, proque illis Deo ſatisfecſſe; ac proinde illam ſolam, non etiam obedientiam vitæ nobis a Deo ad juſtitiam imputari.* Conf. ejus *not. ad Matth. III.* & *Gal. IV.* Quam ſententiam vero non ſolum e Reformatis *Bucanus*, *Polanus*, *Scharpius*, *Lucius*, verum etiam e Noſtratibus plurimi jam olim prolixe refutarunt. Inter cæteros vid. omnino *B. Menzerus Diſp. contr. Piſcat. Tom. III. Gieſſ. in ordine XV.* & *Diſp. V. Anti-Piſtoriana*, pluresque alii, citati in *B. Olearii Contin. Iſagog. Libb. Symbb. Carpzov. p. 1305.* Qui omnes uno ore fatentur, Chriſtum ſatisfeciſſe pro nobis obedientia activa & paſſiva: activa, quatenus, quæ nos implere non poteramus, implevit; paſſiva, quatenus, quæ nos patraveramus pec-

peccata, & adhuc patramus, expiavit, nosque Deo reconciliavit. Quod autem *Piscator* dicit, Christum mortem obiisse pro electis, si pro solis electis verba vult intellecta, uti solet, est falsissimum, & pugnat cum *1. Joh. II, 2.*

§. 6. Sola fide hominem justificari, *Pontificii* strenue negant & acerrime impugnant, Nostrosque ob vocabulum *sola* vocant *Fidesolarios*, atque fidem nostram salvificam einen Solen-Glauben / variisque aliis calumniis petunt inprimis *B. Lutherum*, quem, quia vocabulum allein germanicæ inseruit versioni *Rom. III, 28.* dicunt *Bibliomastigem, sacrilegum* & *Scripturæ Sacræ falsarium.* Sed cur non & *LXX. Interpretes* particulam exclusivam *Genes. III, 11. Deut. VI, 3.* ad exprimendam vim & evidentiam Græci textus interponentes, his titulis mactant? *B. Lutherus* indolem germanicæ lingvæ, quoad potuit debuitque, secutus, ei se accommodavit, & non solum verba, prout in textu avthentico jacebant, vertit, sed & paraphrasten & metaphrasten, aut quorundam locorum difficillimorum & obscurorum interpretem egit & explanatorem, ita tamen ut hoc ipso textui avthentico plane nullam intulerit vim, aut alium affinxerit sensum. Quod ipse prolixe ostendit in Epistola quadam lectu dignissima, von Dolmetschen / quæ extat *Tom. V. Jenens. Germ. f. 141.* Conf. ejus verba prolixe citata in *Schröderi Sceptro Regali de Dextra DEI cap. III. p. m. 206. seqq.* Deinde demonstratur sufficientissime, *B. Lutherum* hanc phrasin optime usurpasse, ex propositionibus ἀυτολεξεὶ biblicis, iisque non unius generis exclusivis, in *B. Carpzov. Isagog. in Libb. Symbb. p. 226. & p. 789.*

§. 7. Bona opera non ingredi negotium justificationis, est ipsa Spiritus S. sententia *Rom. III, 28 IV. Gal. II.* & pluribus locis aliis. Hoc volumus, B. O. plane nihil ad justificationem conferre, nec reperiri in justificando, sed sequi justificatum: quem enim non seqvuntur B. O. ille er-

iam juſtificatum ſe eſſe non arbitretur, nec putet ſe habere fidem, quia B. O. ſunt fructus fidei, & fides absque operibus eſt res mortua, uti teſtatur *Jacobus in Epiſtola cap. II.* Hoc autem intelligendum eſt de juſtificato, qui habet tempus & occaſionem B. O. exercendi : Secus vero ſe res habet, ubi hæc non dantur; ibi namque ſufficit, ſi interna B. O. & voluntas bene operandi adſint. Inde patet, & nos requirere B. O. a juſtificato, ſed non a juſtificando, qui ante juſtificationem nulla bona opera, theologice loquendo, exercere poteſt. Nec eſt, quod hic quidam diſtingvant inter B. O. legis ex viribus naturæ facta, & fidei ex fide & gratia patrata, quia ex viribus naturæ poſt lapſum nemo, Scriptura Sacra judice, Bona O. patrare poteſt, uti ſupra diſpeximus. Et ſic iterum per injuriam *Pontificii* & alii nobis imputant, nos ſpernere & contemnere B. O. hominibusque omnem ad peſſima nequitiarum genera aperire januam, eo quod B. O. vilipendamus. Aſt non vilipendimus B. O. quando cum Apoſtolo aſſerimus: *ſine ſanctimonia vitæ neminem viſurum eſſe Dominum Ebr. XII, 14.* utut non aſſeramus, ſanctimoniam vitæ eſſe neceſſariam ad ſalutem, vel ut cauſam quicquam ad eam conferre.

§. 8. De neceſſitate Bonorum Operum vid. *Form. Concord. in ſolid. declarat. Art. IV.* Ibi enim ea ſatis inculcatur ſolideque demonſtratur §. *quod igitur*, & proxime ſequenti *p. 702.* Sed & *p. 704. ſeq.* leguntur verba, digna quæ adſcribantur: *Diligenter in hoc negotio cavendum eſt, ne B. O. articulo juſtificationis & ſalutis noſtræ immiſceantur. Propterea merito hæ propoſitiones rejiciuntur: Bona opera fidelibus neceſſaria eſſe ad ſalutem: ita ut impoſſibile ſit, ſine bonis operibus ſalvari: quia ſimplititer pugnant cum doctrina de particulis excluſivis in articulo juſtificationis & ſalvationis: quibus particulis D. Paulus opera & merita noſtra,*

ſtra, ab articulo juſtificationis & ſalutis noſtræ penitus excluſit, & omnia ſoli gratiæ atque clementiæ divinæ, & Chriſti merito adſcripſit: quemadmodum ſuperius declaravimus. Et propoſitiones illæ (de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem) perturbatis & afflictis conſcientiis veram Evangelii conſolationem eripiunt: occaſionem præbent dubitationi de gratia Dei: multis modis ſunt periculoſæ: præſumtionem & falſam opinionem de propria juſtitia, & fiduciam propriæ dignitatis confirmant: a Papiſtis acceptantur, & ad ipſorum malam cauſam fulciendam (contra ſinceram doctrinam de ſola fide ſalvante) adducuntur. Quin etiam formæ ſanorum verborum repugnant: cum ſcriptum ſit: beatitudinem tantum eſſe hominis, cui Deus imputat juſtitiam, ſine operibus. Et in Confeſſione Auguſtana Art. VI. ſcriptum legimus: ſalvari nos ſine opere, SOLA FIDE. *Sed & D. Lutherus has propoſitiones rejecit atque damnavit:* (1) *Primo quidem in falſis Apoſtolis, qui Galatas in errorem induxerant.* (2) *Deinde in Papiſtis, multis admodum locis.* (3) *Poſtea etiam in Anabaptiſtis: qui hanc interpretationem adferunt, quod fides quidem non debeat niti meritis operum: ſed tamen ea neceſſario ad ſalutem requiri ſit confitendum.* (4) *Poſtremo in quibusdam aliis, ſuis hominibus, qui hanc, ut loquuntur, gloſſam in medium adducebant: ſi maxime, dicebant, bona opera tanquam ad ſalutem neceſſaria requiramus, tamen non docemus, quod bonis operibus ſit confidendum. Quare & ex jam commemoratis cauſis, in eccleſiis noſtris merito hoc ratum, certum & fixum eſſe debet: quod phraſis ſeu propoſitiones illæ, de bonis operibus ad ſalutem neceſſariis, non ſint docendæ, defendendæ, pingendæ, ſed potius ex eccleſiis noſtris, ut falſæ & non ſinceræ explodendæ atque rejiciendæ &c. & p. 707. Cum igitur ex ſacrarum literarum teſtimoniis manifeſtum ſit, quod fides proprium & unicum illud medi-*

um fit, quo justitia & salus non modo apprehenduntur, verum etiam a Deo conservantur: merito rejiciendum est Tridentinæ Synodi Decretum (& si quid alibi in eam sententiam fuit propositum) quod videlicet bona nostra opera salutem conservent: aut, quod apprehensa fidei justitia, aut fides ipsa, per nostra opera, vel ex toto, vel saltem ex parte retineantur, ac conserventur. Etsi enim ante motam hanc controversiam multi sinceri Doctores ejusmodi phrasibus in explicatione Sacræ Scripturæ usi sunt: non autem ex animo, quod commemoratos Papistarum errores confirmare vellent: tamen cum interea de ejusmodi phrasibus disceptationes, scandala, & distractiones variæ exortæ sint, longe tutissimum est (juxta Pauli admonitionem) formam sanorum verborum non minori diligentia, quam ipsam sinceram doctrinam, firmiter retinere: qua ratione multis non necessariis concertationibus ansa præciditur, & multa in ecclesia DEI offendicula præcaventur.

§. 9. Fidem cum impietate vitæ stare non posse, jam supra contra *Calvinianos*, qui negant electos, etiamsi in maximis & execrandis vivant peccatis, fidem salvificam amittere posse, ostendi; ideo hic ob brevitatis studium ista tractatione supersedeo. Est vero sermo de fide non humana, sed divina sive supernaturali, justificante & salvifica.

§. 10. Alii quondam (inque primis *Amsdorffius*, Episcopus Numbergensis) in alterum extremum sunt prolapsi, statuentes, *B. O. esse perniciosa ad salutem.* Uti namque communiter fieri solet in Ecclesia, & jam a primis Ecclesiæ temporibus in hisce talibus Diabolus, ut pessimus pacis & concordiæ inimicus ac hostis, suas quæsivit delicias atque oblectamenta, ut alter alteri contradicens erraret, si non majorem, æqualem tamen errorem, ut *Eutyches* contra-

tradicens *Arrio; Stancarus Oſiandro; Flacius Strigelio; Huberus Calvinianis:* ſic & hic *Amsdorffius Georg. Majori* Theologo Wittebergenſi, &c. Fuit enim *Amsdorffius* alias vir de Eccleſia Chriſti bene meritus, ac ex B. Lutheri intimis familiaribus: aſt abreptus ardore diſputationis ac ſtudio adverſarios convincendi, qui ſtatuebant, *B. O. eſſe neceſſaria ad ſalutem*, in contrariam partem, nimirum *B. O. eſſe pernicioſa ad ſalutem*, deflexit. Vid. *Form. Concord. in Solid. declar. art. IV.* §. *præterea*, & tribus proxime ſequentibus ſive ultimis *p. 708.*

§. 11. Βεβαίωσις: Probo, Fideles in V. T. uno eodemque modo, ac nos in N. T., fuiſſe juſtificatos, illisque etiam, ut nobis, articulum de Juſtificatione omnino propoſitum fuiſſe, ex *Act. XV, 11.* Διὰ τῆς χάριτος Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ πιστεύομεν σωθῆναι, καθ' ὃν τρόπον κἀκεῖνοι (ſcil. πατέρες *verſ. 10.*) Si ad eundem plane modum credimus ſalvari, quo Patres noſtri, ſequitur juſtificationis modum nobis cum illis eſſe unum eundemque, & doctrinam de Juſtificatione etiam in V. T. fuiſſe propoſitam. Sed prius eſt. Ergo. Maj. prob. quia ſalvatio præſupponit juſtificationem; nemo ſalvatur, niſi prius ſit juſtificatus; juſtificatio autem conſiſtit in imputatione meriti Chriſti, in V. T. ut adhuc exhibendi, in N. T. ut exhibiti, & non imputatione peccatorum: absque hac nemo vitam æternam poſſidebit. Ergo *Sociniani* dicere tenentur, omnes in V. T. eſſe damnatos, aut omnes ut peccatores in cœlum receptos. Quod utrumque falſiſſimum & Scripturæ Sacræ contrarium: Vel juſtificationem eandem, cum extra Chriſtum nulla ſit ſalus, admittere neceſſum habent, quodque hæc doctrina in V. T. propoſita fuerit. Quod ex noſtro dicto hoc fluat, probo, quia Apoſtolus provocat ad Patres & ad eorum juſtificandi & ſalvandi modum, quod ſane non feciſſet, ſi in V. T. Patribus iſtis

uſtificatio plane ignota fuiſſet. Conf. *Pſal. XXXII, 1. 2.* quem locum *Apoſtolus* in ſede Juſtificationis *Rom. IV.* allegat, ubi ex inſtituto juſtificatio deſcribitur.

§. 12. Vocabulum juſtificare in negotio juſtificationis habere ſenſum forenſem & judicialem, probo ex *Prov. XVII, 15.* מַצְדִּיק רָשָׁע וּמַרְשִׁיעַ צַדִּיק תּוֹעֲבַת יְהוָה גַּם־שְׁנֵיהֶם׃ Quilibet videt verbum מצדיק *juſtificans* in hac materia obtinere ſignificationem forenſem & judicialem, quia actio Dei, hominem peccatorem juſtificantis, ſimilis eſt actui judicii civilis, qui exercetur in foro ſive judicio, in quo ſiſtitur reus, & ab actore accuſatur, adhibitis argumentis & teſtibus: Judex autem ſententiam pronunciat, qua accuſatus vel condemnatur vel abſolvitur. Quem actum eſſe judicialem res ipſa docet, & Scriptura S. confirmat, quando non ſolum nominat Dei *judicium Pſalm. CXLIII, 2.* ſed & in ſpecie (α) *debitum*, *Matth. XIIX, 24.* quod eſt peccatum *Rom. III, 9. 23. IV, 7. 8.* (β) *Reum*, hominem peccatorem, *Pſalm. XIV, 3. Rom. III, 10. 19.* (γ) *Actorem*, Moſen cum lege, *Rom. III, 20.* (δ) *Teſtem*, conſcientiam, *Rom. II, 15.* (ε) *Chirographum*, *Coloſſ. II, 14.* (ζ) *Tribunal* Chriſti, *2. Cor. V, 10.* (η) *Advocatum*, Chriſtum, *1. Joh. II, 1.* (ϑ) *Judicem*, Dominum, *Joh. V, 27. Act. X, 42. XVII, 31.* Conf. *Matth. XXV, 31. ſeqq.* Sic proceſſum judicialem Theologi noſtri deſcribere & demonſtrare ſolent, ut ad oculum pateat, actum hunc juſtificationis eſſe forenſem, non phyſicum &c. Vid. Magnif. *Dn. D. Waltheri Colleg. MS. in Synopſ. Controverſ. Calov. Loc. de Juſtif. Sect. I. §. II. Notab. 14. & 18.* Unde argumentor: Quæcunque actio non ſolum verbis Scripturæ deſcribitur ut forenſis, verum etiam requiſitis ad actum judicialem pertinentibus demonſtrari poteſt, illa eſt forenſis. Atqui juſtificatio ho-

minis

minis peccatoris coram Deo &c. Ergo. Major ex terminis patet. Minor jam est probata.

§. 13. Justificationis forma probatur, partim quod sit imputatio justitiæ Christi per fidem, partim non imputatio peccati, ex *Rom. IV, 5.* τῷ πιστεύοντι λογίζεται ἡ πίστις αὐτοῦ εἰς δικαιοσύνην. *vers. 8.* Μακάριος ἀνὴρ ᾧ οὐ μὴ λογίσηται κύριος ἁμαρτίαν. In hoc capite *Apostolum* de Justificatione peccatoris coram Deo agere, hisque verbis demonstrare, in quonam hæc justificatio consistat, nemo certe negabit: utitur enim ferme iisdem verbis, quibus cum Theologis nostris formale justificationis descripsimus; ideo quoque non opus est, ut hic diutius moremur.

§. 14. Probatur, Christum etiam satisfeciisse Patri suo nostri loco obedientia activa, quæ est, quatenus legi Dei ita satisfecit, ut, etiamsi illam jam nos implere nequeamus, ejus nobis imputetur impletio, ex *Gal. IV, 5.* ubi dicitur, Deum filium suum misisse hunc in finem, ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ. Quicunque alios perfecta impletione legis a se præstita liberavit ac redemit ab impletione legis, quæ illis erat impossibilis, ille activam pro ipsis præstitit obedientiam. Atqui Christus &c. Ergo. Maj. prob. Quia lex impleri non potest nisi actionibus, ad quas etiam pertinent actionum vetitarum omissiones: hæc obedientia dicitur actio; jam vero Christo ut ἀνθρώπῳ nulla lex erat data, quia Dominus legis erat (ut ipse Pater) qui tamen sponte se subjecit legi pro nobis, & nostri causa ei satisfecit, ut nos, qui legi eramus subjecti, redimeret. Hinc etiam diserte dicit, se veniisse ut Patris sui voluntatem perficeret, *Joh. IV, 34.* Conf. *Joh. V, 30. VI, 38.* Sane quorum causa Christus venit, ut faceret ea, illa utique ut mediator Dei & hominum fecit, & imputantur nobis. Pluribus videatur *B. Joh. Gerhardus Tom. III. LL. Theol. L. XIX. §. 6. seqq.* Sic

qui

quidem communiter de activa Christi obedientia loqui solent Nostrates, ut distingvatur a passiva. Paulo aliter *B. D. Menzerus* mentem suam explicat, quando in *Diss.* supra cit. §. *79. p. 454. seq.* cum quo conf. §. *29. 30. seqq.* scribit sequentia: *Exquisite loqui si velimus, non nisi unam Christi obedientiam vocamus, quam in vita & in morte Deo Patri præstitit, neque usquam Scriptura utitur plurali numero, sed ubique nobis unam commendat Christi obedientiam, nempe in illis omnibus, quæ lex divina requirebat. Objecta igitur obedientiæ diversa quidem sunt, ipsa vero obedientia una, qua totum divinæ legi Christus sese lubens volensque propter nos & nostram salutem conformavit, tum agendo tum patiendo ea, quæ ad officium ejus pertinebant, quo stante fundamento totum ædificium Piscatorianæ opinionis corruit.* Hæc ille.

* §. 15. Bona Opera nullatenus (quomodocunque etiam verba limitentur vel pallientur) ingredi negotium justificationis, ex absoluta Apostolica omnium operum exclusione probatur *Rom. III, 28.* λογιζόμεθα γὰρ, πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον, χωρὶς ἔργων νόμου. Conf. *cap. IV, 2. 3. 4. 5. Gal. II, 16. III, 11. Ephes. II, 8. 2. Tim. I. 9. Tit. III, 5. 6. Rom. XI, 6.* Quicunque justificantur fide absque operibus, illi non justificantur ullis operibus, quomodocunque spectentur. Sed homines &c. Ergo. Maj. prob. Quia Apostolus opponit fidem operibus indefinite, quemcunque respectum induant illa, eo ipso sola fides justificat: a participatione enim effectus excludit omne id, quod non est fides.

§. 16. Objiciunt *Sociniani*, ut probent doctrinam de justificatione in V. T. non fuisse propositam, *Act. XIII, 39.* οὐκ ἠδυνήθητε ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως δικαιωθῆναι. Si non poterant in lege Mosis justificari, sequitur etiam in V. T. non fuisse propositam doctrinam de justificatione. Sed prius est. Ergo.

Ergo. Nego Consequentiam: nam neque in N. T. ex lege possumus justificari. Ergo neque in N. T. proposita est doctrina de Justificatione? quis hoc dixerit? Nec est, quod excipias, N. T. in multis & variis locis expresse proponere hanc doctrinam, quod in Veteri non sit factum. Hoc nego: in V. T. æque ac in Novo justificationem perspectam habebant, ceu patet ex *Psalmo CXLIII, 2. & XXXII, 1. 2.* ad quem locum etiam Paulus, *Rom. IV.* provocat. Deinde ambiguitas latet in vocabulo νόμος, quod quidem nonnunquam pro V. T. scriptis sumitur, sed non semper, uti neque h. l. quod ex aliis Scripturæ dictis probari potest, ubi lex etiam uti hic, tantum pro lege morali accipitur, quæ hominem peccatorem, dicente *Apostolo*, occidit, & sic recte dicitur, per hanc neminem justificari: nam justificatio non fit per legem, sed per fidem in meritum Christi, quia per lapsum protoplastorum natura humana ita est corrupta, ut legem Dei in hoc statu implere nemo queat, sicque justificatio non legi, sed merito Christi sit adscribenda.

§. 17. Contra significationem forensem objiciunt *Pontificii*, & probant habitum ac gratiam infusam, *Gal. IV, 6.* ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ εἰς τὰς καρδίας ὑμῶν. Ex quo concludunt: Mittitur Spiritus S. in corda nostra. Ergo infunditur per modum habitus. Sed quis non ridet hanc consequentiam? Sensus potius hic est: postquam estis filii, misit Deus Spiritum &c. non ad justificandum, sed ad sanctificandum &c. Error vero Pontificius inde oritur, quia, quod nobis venit sanctificationis nomine, id ipsi perperam accipiunt pro justificatione; sanctificatio enim justificationem demum sequitur. Volunt autem hoc Pontificii: Quia Spiritus S. præsentia Majestatica jam ante est in cordibus nostris, & denuo dicitur mitti,

mittitur utique, ut intus quid operetur; sed prius probent, ubi gratiosa præsentia sua speciali Spiritus S. dicatur esse in corde irregenito? Deinde si mittitur Spiritus S. in cor, mittitur ut aliquid operetur, numne inde sequitur, quod infundat habitum justitiæ, quæ nos justos reddat coram Deo? minime. Apostolus dicit, eum operari *clamorem*, ut clamemus Abba Pater. Quilibet vero facile videt, cur hæc Pontificii adducant, ut scil. probent justificationem suam duplicem: primam & secundam, figmentum mere Papisticum.

§. 18. Contra obedientiam activam Christi objicitur hoc argumentum: *Si Sancta Christi vita nobis imputatur, nos non obligamur ad vitæ nostræ sanctitatem. Atqui hoc falsum. Ergo & illud.* Resp. Neg. Maj. Sumus enim obligati ad sanctitatem, quoad a nobis fieri potest: cum autem lex a nobis propter amissam Dei imaginem impleri nequeat, defectum nostrum Christus compensavit, & legem nostri loco implevit. Nihilominus tamen & nobis studendum, ut præcepta Dei servemus, & vitam nostram in sanctitate atque justitia, quantum per imbecillitatem humanam liceat, studiose geramus, non tamen eo fine, ut quicquam hac nostra sanctitate apud Deum valeamus, ipsique satisfaciamus, quod solus Christus præstitit.

§. 19. Pontificii locum *Jacob. II, 24.* quo probare conantur, hominem non ex sola fide, sed ex operibus justificari, objiciunt: ὁρᾶτε τοίνυν ὅτι ἐξ ἔργων δικαιοῦται ἄνθρωπος, καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνον. Quæ verba si ita nude adspiciantur, certe e diametro *Pauli* supra citatis verbis repugnare videntur. Quare etiam *B. Lutherus*, quando inspexerat huncce textum *Jacobi*, & contulerat cum *Rom. III, 28.* Epistolam hanc *Jacobi* vocavit *stramineam*, & primis suæ conversionis annis existimavit, non posse sperari ido-

226.

idoneam hujus loci conciliationem. Sed si rem curatius penſitemus, Apoſtoli facile conciliari poſſunt: Optima autem conciliandi ratio ſumitur (1) *ex ſcopo:* Nam uterque Apoſtolus cum diverſo hominum genere egit, & alterum extremum impugnavit. *Paulus* cum propugnatoribus operum in articulo juſtificationis, impugnans Phariſaismum; *Jacobus* vero cum hypocritis, Libertinis & ſecuris impugnans Epicureismum. (2) Ex diverſitate quæſtionis: *Paulus* oſtendit, quidnam ſit illud, quo coram Deo juſtificemur, nempe ſola fides, quatenus apprehendit meritum Chriſti: *Jacobus* autem oſtendit, quidnam ſit illud, per quod agnoſcatur, an fides illa, quam dicit homo ſe habere, ſit viva, vel mortua, adeoque vere juſtificatus homo ſit vel non? (3) *Ex fontibus argumentorum & demonſtrationum: Paulus* exponit juſtificationem per demonſtrationem ἐξ διότι oſtendendo cauſam, propter quam juſtificemur & juſti ſimus, nempe propter imputationem juſtitiæ Chriſti fide apprehenſæ; *Jacobus* autem explicat juſtificationem per demonſtrationem ἐξ ὅτι, oſtendendo, eam homini adeſſe vel non adeſſe, ab effectis, quæ ſunt B. O. (4) *ex legitima explicatione vocabuli juſtificationis. Paulus* agit de juſtificatione proprie ſic dicta: *Jacobus* de juſtificationis externa demonſtratione & declaratione per B. O. unde & *Pauli* doctrina pertinet ad locum de juſtificatione; *Jacobi* autem ad locum de B. O. Vid. *B. Gerhard. Comment. in Epiſt. Jacobi, B. Winkelmannus in Diſpp. Marpurgenſ. Diſp. IX. Tom. V. §. 35. 36.* Ergo *Paulo Jacobus* non contradicit, ſed plenisſime cum illo, etiam in multis Epiſtolarum ſuarum locis B. O. ut ſignum veræ ac ſalvificæ fidei, requirente conſentit.

DISPUTATIO IX.

CONTROVERSIA XXVII.

Sacramenta ſunt media fidei æternæque ſalutis, per quæ vera fides juſtificans & ſalvifica accenditur: Non autem conferunt gratiam & ſalutem, intentione Sacerdotis, nec ex opere !operato, ſed in uſu debet accedere fides, quæ credit promiſſionibus illis, quarum ſigna ſunt ipſa ſacramenta. Suntque duo tantum: Baptismus unicus & ſimplex, qui eſt lavacrum regenerationis ex aqua & Spiritu, & ab omnibus Chriſtia-

ſtianis ſemel ſuſcipi, nec iterari debet, nec tollit peccatum, ut non ſit, ſed ut non imputetur: Et Sacra Cœna conſtans ex re terrena, ſcilicet pane, (qui tamen non mutatur per transſubſtantiationem in corpus Chriſti, nec in circumgeſtatione adorandus eſt) & vino, & cœleſti, nempe corpore & ſangvine Chriſti, vere, realiter & ſecundum ſubſtantiam præſentibus adeo, ut ore corporis a piis & impiis, vere credentibus & incredulis, ad Sacram Cœnam inſtitutioni Chriſti conformiter adminiſtratam accedentibus accipiantur, illudque comedatur, hic bibatur.

§. 1.

Intentionem Sacerdotis in Sacramentis omnibus *Pontificii* maxime requirunt, *ing; eo omnium optime maximeque Catholicos Dd. excepto Ambrosio Catharino, convenire docet Bellarminus L. I. de Sacramentis cap. XXVII. §. 11. Vid. Concil. Trid. Sess. VII. Can. XI.* contradicentes feriens his verbis: *Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt: non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Sed *Nostrates* docent, non intentionem Sacerdotis, sed baptizandi fidem esse respiciendam: Nam non Sacramentum, multo minus intentio ministri, sed fides Sacramenti justificat, & uti manus sordidæ nihil semini detrahunt virium, quo minus fructum ferre possit, quando terræ mandatur: Ita nec ministri sive bona sive mala intentio quicquam baptismo vel fidei detrahere potest. Audiamus B. *Dannhaweri* ex *Hodos. p. m. 1013.* verba: *Sacramentum non mutat vita Ministri, sic nec intentio. Eadem est ratio verbi, quæ Sacramenti. Impurus Concionator, qui Christum per contentionem prædicat, efficaciter prædicat, ac audiendus est, eo quod vis illa vivifica non sit a Paulo plantante vel Apollo rigante, sed a Deo &c. Ergo & impurus efficaciter baptizat. Si vel Magus vel Judas vel ipse esset AntiChristus: neque enim instrumentum agit secundum propriam formam, sed secundum virtutem ejus, a quo movetur*, ait *Thomas Part. III. Qv. 64. art. 5.* Notari hic merentur Magnif. Dn. D. *Schelgvigii*, Patroni & Præceptoris mei submisse ac devote devenerandi, verba ex *libro*, quem inscripsit Schrifftmässige Prüffung des Pabstthumbs / quibus, quomodo hac *intentione* ipsis Pontificiis rubor moveri atque injici possit, optime docuit, quæ cum sint plusçula ibi una cum *Petri Svavis* relatione de *Ambro-*

sio

sio Catharino huic intentioni contradicente, si placet, videantur *Cap. XIII. p. 141. seqq.* præsertim *p. 147. & 148.*

§. 2. Rursus *Pontificii* uti in genere de Sacramentis, ita etiam de Baptismo docent, *ex opere operato* gratiam conferre, h. e. uti laudatus *Dn. D. Schelgvigius* cum aliis Nostratibus, imo & ipsi *Pontificii* explicant, conferre gratiam, si usus tantum adhibeatur, etiamsi nulla prorsus adsit fides. Vidd. auctores Pontific. cit. a laud. Dn. D. *Schelgv. d. l. c. XII. p. 127.* Quemadmodum autem intentio Ministri ad Sacramentum nihil confert: ita etiam baptismus ipse, quatenus ut merus externus actus absque fide consideratur, nihil efficit.

§. 3. Unum tantum atque simplicem esse Baptismum nostra Ecclesia ejusque Dd. docent, *Calviniani* vero statuunt duplicem, exteriorem aquæ, alterum interiorem Spiritus Sancti *Beza Part. 2. Resp. ad Colloq. Mompelg. p. 44. seqq. Zwinglius, Tom. II. fol. 70.* hosque duos baptismos volunt esse, qua personas, qua tempus distinctissimos. Externo enim omnes baptizatos, interno solos electos, & quidem ætate postea crescente, imo nonnullos in agone demum gaudere dicunt. Nostrates vero, in specie *Dannhawerus in Hodos. p. m. 981.* inquit: *Equidem τῇ ψιλῇ ἐπινοίᾳ distingvere licet operationem externam ab interna; dividere autem ac separare nunquam: quotquot baptizati sunt Christum induerunt, reprobi juxta ac electi, non hi interno baptismo soli, isti externo solo, sunt loti.*

§. 4. Quemadmodum quodlibet Sacramentum suam habet materiam terrestrem, ita & Baptismus, quæ est aqua vera, naturalis, non stillatitia, factitia aut medicata, aut alius quidam liquor. Maximus igitur error est *Bezæ* & Sociorum, statuentium quovis liquore alio aquam commutari posse: quia nimirum satis sit, si analogia observetur,

ut

ut possit dici lavacrum. Cum his etiam faciunt *Sociniani* negantes quoque necessario ad Baptismum requiri aquam, ut partem substantialem, quia invocatione nominis Jesu abluuntur peccata. Sic enim *Moscorovius: Certe posita hac sententia: invocatione nominis Jesu ablui peccata, non consequitur prior consequentiæ pars*, (disputat enim contra *Smiglecium* Jesuitam) *aut aquam Baptismo detrahi, aut alium liquorem, in quo tamen nullum inconveniens esset, in illius locum substitui posse. Refut. Append. Mart. Smigl. fol. 39. 40.* & alibi. Sed aliud nobis ex Scriptura S. constat, uti in βεβαιώσει monstrabitur, & ex praxi primitivæ Ecclesiæ, quæ semper usa est vera ac naturali aqua. Hinc *Lombardus Lib. IV. dist 3.* scribit: *Celebratur hoc Sacramentum tantum in aqua, vel ideo ut nullum inopia excusaret, quod posset fieri, si in alio liquore fieret, & ut communis materia baptizandi apud omnes inveniretur.*

§. 5. Circa alteram partem substantialem Baptismi *Nostrates* non uno modo sensa animorum suorum explicant: *B. Lutherus in Catech. Maj. p. 537.* ad quæstionem, *quid Baptismus sit?* respondet: *Non esse prorsus aquam simplicem, sed ejusmodi, quæ verbo & præcepto Dei comprehensa, & illi inclusa sit, & per hoc sanctificata, ita, ut nihil aliud sit, quam Dei seu divina aqua, non quod aqua hæc per sese quavis alia sit præstantior, sed quod ei verbum ac præceptum Dei accesserit.* Addit: *Interrogatus, quid Baptismus sit, ita responde:* Totus namque *ibidem* in eo est, ut sycophantiam *Anabaptistarum* blasphemo ore blaterantium: *Quid vero utilitatis manus aquæ plena præstaret animæ?* detegat, eorumque pestilentissimum errorem refutet, demonstrans, *longe aliam rem esse Baptismum, atque omnes alias aquas.* Vid. pluribus. Alii igitur alteram partem substantialem Baptismi dicunt *verbum Dei;* alii *SS. Trinitatem*, cum verbum

bum inſtitutionis ac promiſſionis teſtetur, Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum cum omnibus gratiæ beneficiis in Baptismo adeſſe; alii *Sangvinem Chriſti*, eo quod ſangvis Chriſti dicatur nos emundare ab omni peccato, *1. Joh. V, 7.* Conf. *Ebr. IX, 22. Epheſ. V, 26.* & ex Chriſti latere fluxerint aqua & ſanguis, quibus partes ſubſtantiales Baptismi ſignificatæ & præfiguratæ fuerint; alii *Spiritum Sanctum*, ex *Joh. III, 5. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei.* Sed quomodo hæ ſententiæ conciliari poſſint, in conflictu oſtendetur.

§. 6. Omnibus Chriſtianis, imo & infantibus, Baptismum eſſe neceſſarium, ſacræ literæ docent: *Quic. enim credit & baptizatus fuerit, ſalvus erit* &c. *Marc. XVI, ult. Joh. III, 5.* Quando baptismum neceſſarium eſſe dicimus, non loquimur de abſoluta neceſſitate, etiam reſpectu Dei, quaſi ita neceſſarius ſit neceſſitate præcepti & medii, ut citra illum nulli ſalus obtingere poſſit, quomodo ad ſalutem abſolute neceſſaria ſunt gratia Patris & meritum Chriſti, ſed neceſſitatem ordinatam defendimus, quæque talis eſt ex parte hominum, ut nemo baptismum negligens vel contemnens poſſit regenerari ac ſalvari, ſive ſit infans ſive adultus. Sed non uno modo baptismus in infantibus & adultis fructum ſuum exerit, neque ſubjectum baptizandum uno modo ſe habet: adulti enim, niſi ſint hypocritæ (de quibus Deo relinquendum judicium, homo enim tantum, quæ ante oculos ſunt, Deus vero intima cordis videt) ante baptismum credunt & credere debent, ita ut illis baptismus ſit quaſi Sacramentum confirmationis (quod alias ad differentiam Sacramenti initiationis, Sacram Cœnam dicunt) per quod fides languida ut ſcintillæ in cinere gliſcentes, magis magisque excitatur atque accenditur. In infantibus vero fides ante baptismum non datur, ideoq; ante

baptismum proprie ſancti dici non poſſunt, ſed in baptiſmo a Spiritu S. illis ex gratia fides communicatur, & licet, quomodo hi fidei capaces eſſe poſſint, ratio noſtra aſſequi non valeat, tamen propter expreſſa *Chriſti* verba & aſſertum, ipſis fides nequit denegari, uti ſupra indicavimus. Et ſic hi ad unum omnes, ex adultis autem ii tantum, qui hypocritæ non ſunt, per baptismum regenerantur. Contra hanc aſſertionem pugnant partim *Pontificii*, partim *Sociniani*, partim *Calviniani*. Illi baptismum abſolute neceſſarium eſſe docent, ita ut infantes absque baptismo & ante hunc decedentes in limbum infantum ablegent. Iſti negant, omnibus Chriſtianis neceſſarium eſſe baptismum, ad infantes vero plane non pertinere. Ita *Volkelius, L. VI. de V. R. c. XIV. fol. 670. ſeq. Diligenter inquirendum eſt, an omnibus ſeculis, & porro hac etiam ætate Eccleſia, omnesq;, qui ad eam ſeſe conferunt, baptismi iſtius religione devincti ſint? Dicimus: nequaquam hoc demonſtrari poſſe. Quis enim non videt, Chriſtum Matth. XXIIX, 19. de illis tum docendis, tum baptizandis verba facere, qui a Chriſti diſciplina antea plane fuerunt alieni? Quales cum, qui hodie in Chriſtiana republ. verſantur, non ſint; quippe qui jam inde a primo ætatis ſuæ exordio nullam aliam præter Chriſtianam religionem profeſſi fuerint; parumne liquet, aquæ baptiſmo ex hoc Chriſti mandato, omnes omnium ætatum homines nequaquam obſtringi.* *Smalzius Exam: CLVII. Error. fol. 37. Err. 140.* ſcribit: *Ipſum baptismum infantum pro re puerili & adiaphora prorſus habemus.* Si hoc non eſt contradicere Chriſto & Spiritui S. neſcio quid demum ſit. Conf. *Act. II, 38. & Joh. III, 5. 6.* in quibus locis ſine ulla exceptione, omnibus hominibus baptismus mandatur: In priore dicitur: reſipiſcite, & baptizetur ἕκας@ *unusquisque*, ſive ſit Chriſtianus, ſive gentilis, ſive Judæus. Et in alte-

ro

ro omnis caro baptizari jubetur, uti in *βεβαιώσει* prolixius ſumus oſtenſuri. Hi, ſcil. *Calviniani*, affirmant, infantes ante baptismum jam eſſe ſanctos; quod pariter eſt *ἀντίγραφον*. *David* enim expreſſe teſtatur, ſe eſſe in peccato conceptum, *Pſal. LI*, 7.

§. 7. Baptismum tantum ſemel ac una vice eſſe ſuſcipiendum, *Noſtrates* docent, ita ut illi quoque, qui gratia & fœdere Dei exciderunt per peccata enormia, per veram pœnitentiam fœdus illud baptismale renovare poſſint: *Pontificii* vero, ut mantelium habeant, quo tegant proprias ſatisfactiones, errant circa hanc doctrinam, docentes, hominem peccatorem non poſſe per baptismum poſt baptismum æque ac ante cum Deo reconciliari, aut redire ad navim Baptismi. Conf. *Bellarm. L. 1. de Sacram. Baptism. c. 18.* Hoc autem inde fit, quia ſtatuunt characterem in baptizato indelebilem; ſed ſacræ literæ nihil de hoc charactere ſciunt; ideo neque nos. Si autem aditus nullus, aut difficillimus ad Deum, niſi per & propter proprias ſatisfactiones pateret, fœderisque in baptismo cum DEO iniri nulla poſt amiſſam fidem eſſet efficacia, quorſum illæ ad pœnitentiam, quæ conſiſtit in contritione & fide, adhortationes forent? ut *Marc. I, 15. Matth. III, 2.*

§. 8 Baptismum conferre gratiam & Spiritum S. non ſolum *Sociniani*, verum etiam *Calviniani* negant. Illi nihil quam Eccleſiaſticam ceremoniam ſive publicam Chriſti profeſſionem eſſe docent: Sic enim *Socinus de B. A. cap. X. fol. 101. ſeq. Nihil per eum baptismum vere vel a Deo hominibus confertur, vel quavis ratione ipſis accedit; niſi quod per ipſum Chriſto publice nomen dent, & ejus familiæ quodammodo adſcribantur.* Hi vero docent, baptismum tantum eſſe ſignum gratiæ, non quod ipſam gratiam aut remiſſionem peccatorum conferat. Unde *Zwinglius*

Tom. II. fol. 63. Baptismus non est in hunc finem institutus, ut cum, qui baptizatur, justum efficiat, aut fidem confirmet. Et in *declarat. ad Urb. Regium fol. 122. Baptismus Ecclesiæ Christi signum, non aliter quam exercitus aliquis signatur: non quod signum hoc conjungat ecclesiæ: sed qui etiam conjunctus est, publicam tesseram accipit; sicut nemo in exercitum scribitur, eo quod signum inducit, sed is, qui in exercitum jam scriptus est, publico signo dignus dicitur, quo omnibus manifestus fiat.* Contrarium in βεβαιώσει videbimus.

§. 9. *Pontificii* docent, Baptismum peccata delere, ita ut cum radice ejiciantur ac plane eradicentur, ut nulla amplius adsint; imo concupiscentiam post baptismum reliquam ne quidem peccatum dici posse statuunt. Vid. *Bellarm. L. I. de Baptism. cap. XII.* quod totum caput *B. Brochmandus* refutavit *Tom. II. fol. 429. Qv. VI.*

§. 10. Jam progredimur ad doctrinam de S. Cœna, ubi quæritur, an hæc Sacrificium dici possit? Vocabulo sacrificii in laxiori significatu sumto, multæ res sacrificia improprie loquendo dici possunt. Ita gratia, quam Deo debemus, & preces nostræ sæpissime vocantur in Scriptura S. sacrificia, *Psal. L, 14. Os. XIV, 3. Ebr. XIII, 15. Apoc. V, 8. c. IIX, 3. Psal. CXLI, 2.* Imo etiam S. Cœna in veteri Ecclesia dicebatur sacrificium, & adhuc, si adhibeatur commoda explicatio, sic dici potest; uti etiam a Nostratibus de S. Cœna scribentibus, statumque controversiæ, sibi cum Pontificiis intercedentis, accurate constituentibus notari solet. Conf. *B. Gerhard. Confess. Cathol. de Miss. p. 1150.* Hic autem inprimis quæritur: An sacrificii nomen in sensu Pontificio Sacræ Cœnæ sit tribuendum, præsertim cum nullibi in Scriptura S. hoc nomine Sacra Cœna insigniatur? Hic *Nostrates* ductu *Form. Concord. p. 252.* cujus verba

hæc

hæc sunt : *Multa de Sacrificio in confutatione dixerunt, cum nos in confessione consulto id nomen, propter ambiguitatem, vitaverimus &c.* negativam amplectuntur. Rationes, ob quas hoc vocabulum sit vitandum, *B. Chemnitius in Exam. Conc. Trid. de missa Pontific. p. m. 155.* præclare demonstravit.

§. 11. *Sociniani* negant, necessarium esse, ut in Sacra Cœna τὸ ῥητὸν ex institutione Christi servetur; imo volunt, non posse servari, quia verba : hoc est corpus vel potius cadaver meum &c. non realem corporis & sangvinis Christi præsentiam, sed hoc solum: hic ritus est signum passionis Christi ; significent. Ita loquitur *Wolzogenius Comm. ad Matth. XXVI. Tom. I. Oper. fol. 411. Conf. 409. seqq. Qui tantopere hoc in loco literæ affixi sunt, τὸ ῥητὸν urgent, nihil aliud faciunt, quam quod vel summam suam in interpretandis Scripturis insciti am, vel pertinaciam in præconcepta opinione defendenda probant.* Nos tamen tenemus τὸ ῥητὸν ut anchoram, quod præter necessitatem maxime urgentem nullibi, nedum in testamento, relinquemus. Cum nemo hominum saniori judicio præditorum testamentum instituens, suamque sincere voluntatem ultimam declarans, voces vel verba usurpet ambigua, sed plana ac clarissima: quidni igitur Christus, ut Dominus omniscius, qui omnem hanc nostram cum Adversariis litem jam tum temporis præsciverat, verbis perspicuis, maxime ac manifestissimis usus fuisset, quorum de sensu nemo dubitandi causam haberet ullam, nisi malevole mentem Testatoris invertere vellet : Quod autem *Sociniani* Christi corpus mortuum cadaver vocant, etiam errorem committunt pestilentissimum : nam ad cadaver præter discessum animæ etiam corruptio requiritur, quam Christus nunquam vidit, *Psal. XVI, 10. Act. II, 31.* Nullum enim corpus, quamdiu

in hypoſtaſi ſuæ perſonæ manet, cadaver eſt. At corpus Chriſti per triduum mortis manſit in ſuæ perſonæ hypoſtaſi. Vid. *B. Fewerborn. κενωσιγρ. Sect. III, fol. 104.*

§. 12. Corpus & Sangvinem Chriſti vere, realiter & ſecundum ſubſtantiam ſuam in Sacra Cœna præſentia eſſe, illudque edentibus cum pane, hunc bibentibus cum vino exhiberi, *Calviniani* adeo abſurdum falſumque dogma eſſe pronunciant, quo non detur falſius abſurdiusque: ita namque *Vedelius Ration. Theol. l. 1. cap. 6. p. 52.* Ubi concludit in genere contra præſentiam Chriſti: *Si corpus Chriſti in hoc mundo præſens eſt, tunc ſub ſenſum cadit*, viſum nimirum & tactum. *At non cadit ſub ſenſum. Ergo. Major*, pergit, *ex lumine naturæ manifeſta fit: Omne corpus naturale ſub ſenſum cadit.* Quaſi vero ſenſibilitas, & in ſpecie viſibilitas, & palpabilitas referri debeat ad prædicata eſſentialia, & non ad accidentalia. Ipſe *Chamier Tom. II. Panſtr. Cath. L. VI. de corpore Chriſti cap. I. θ. III. & IV. p. 100.* hac diſtinctione utitur, ita ſcribens: *Catholici proprietates diſtingvunt, ut aliæ ſint eſſentiales: aliæ vero accidentales.* Illæ, *absque quibus corpus humanum non ſit corpus: ut compoſitio, ut quantitatis dimenſiones; aut certe non ſit humanum, ut membrorum conſtitutio & ſymmetria: & ſi quæ ſunt præterea.* Accidentariæ *poſſunt adeſſe atque abeſſe absque ſubjecti interitu: b. e. ita ut non propterea corpus deſinat eſſe corpus: aut etiam humanum: ut gravitas hæc, tanta quanta in hominibus eſſe ſolet: & tarditas, & mortalitas; & ſi quæ ſunt ſimilia.* Unde ſic argumentor: Quicquid absque corporis interitu adeſſe & abeſſe poteſt, illud non eſt attributum ejus eſſentiale. Atqui viſibilitas & palpabilitas adeſſe & abeſſe poſſunt ſine corporis interitu. Ergo. Major eſt *Chamieri.* Minor probatur: nam viſus & tactus exigunt patibiles qualitates ejusmodi, quæ ſine corpo-

ris

nis destructione abesse possunt, vel etiam ita diminui, ut visu & tactu, a quo objectum denominationem habet, ut visibile & tactile dicatur, apprehendi nequeant. Et sic corpus quoddam præsens esse potest, utut non tangi vel videri possit. Et ita etiam in Sacra Cœna revera & substantialiter adest; non vero quasi panis in actu Cœnæ non sit aut maneat panis, sed mutetur in substantiam corporis Christi, quod volunt *Pontificii*; qui tamen maxime errant, quia hoc dogma est ἄγραφον, imo ἀντίγραφον. Adeoque mediam hic viam servantes, neque cum *Calvinianis* panem dicimus nudum signum absentis corporis Christi, neque cum *Pontificiis* panem in substantiam corporis Christi mutari docemus, sed profitemur, panem esse κοινωνίαν, medium & organon, cujus beneficio corpus Christi, quod vere, realiter ac secundum substantiam præsens est, nobis in Cœna communicatur. Non autem inde sequitur, quod *Calviniani* nobis affingunt, nos statuere *transsubstantiationem*, vel *impanationem*, quam vocant; quod & ipse *Martinus Bucerus*, Vir apud Calvinianos magnæ auctoritatis, *in Axiomaticis Apologeticis*, *Axiom. X.* testatus est: *Nullam Lutherus*, inquit, *corporis & Sanguinis Domini cum pane & vino commixtionem naturalem, nullam etiam corporis & Sanguinis Domini in pane & vino localem inclusionem statuit, nec facit ex Christo Domino nostro cibum ventris, siquidem secundum magnam ejus confessionem de sententia ejus judicare licet.*

§. 13. *Pontificiorum* dogma de transsubstantiatione falsissimum esse, jam vidimus: sublato autem hoc fundamento, figmentum adorationis panis vel hostiæ sua sponte corruit, quia solus Deus, non panis vult adorari. Verbis *Conc. Trid. Sess. XIII. Can. II & IV.* Conf. *Can. VII. Si quis dixerit, in SS. Eucharistiæ sacramento remanere substan-*

ſtantiam panis & vini &c. anathema ſit. B. *Winckelmannus in Diſp. Marpurg. Tom. IV. Diſp. XIII. p. 275. §. 96.* oppoſuit: (1) Cujus dogmatis novitatem ipſa præ ſe fert barbara appellatio, (2) quod nec expreſſis Scripturis continetur, (3) ſed noviter eſt confictum & introductum, (4) & pugnat cum manifeſtis verbis tum teſtamenti Dominici, tum Pauli Apoſtoli, (5) & contradicit interpretationi Pauli, (6) convellit analogiam fidei, (7) evertit ipſam rei, de qua agit, naturam, (8) mutilat Sacramenti ſubſtantiam, (9) tollit analogiam ſigni & rei, quæ eſt in Sacramentis, (10) perpetuis conflictatur contradictionibus, (11) plurimasque gignit abſurditates, (12) Sacramento item veritatis infert falſitatem, (13) & denique principium eſt horribilium ſuperſtitionum, illud dogma falſum eſt, & condemnandum. Pontificia transſubſtantiatio tale eſt dogma. Ergo. Omnia membra deinde per totam ferme *diſputationem* prolixe probat, quæ, ſi placet, videatur.

§. 14. *Calviniani* porro negant, impios æque ac pios, incredulos ac credentes vere corporis & ſanguinis Chriſti in Sacramento Cœnæ participes fieri. Unde *Muſculus in Locis p. 821.* de incredulis ac impiis ſcribit: *Licet ſacramentatenus edant ac bibant, revera tamen neque edunt, neq; bibunt corpus & ſanguinem Domini.* Et *Wendelinus in Theol. Chriſt. L. I. c. XXIII. N. VII. p. m 517. Indignos b. e. infideles,* inquit, *in uſurpatione Cœnæ Dominicæ nihil accipere, niſi externa ſymbola panem & vinum: Res enim ſignatæ non accipiuntur niſi fide, qua indigni deſtituuntur. Unde Auguſtinus de Juda proditore dicit: eum accepiſſe panẽ Domini, non, panem Dominum. Etſi veriſimilius eſt, Euchariſticum panem Judæ a Chriſto porrectum non eſſe.* Hæc *Wendelinus.* Sed mitioribus verbis utuntur *Zanchius Confeſſ. p. 156. Quicquid,* inquiens, *ad ſacramenti integritatem pertinet, illud accedentis*

dentis indignitate atque incredulitate non evacuatur. Et *Bezæ Vol. I. f. 257.* addit: *Corpus & sanguis Christi ad integritatem sacramenti pertinent.* Distinguendum igitur venit inter sacramenti usum & ejus *fructum.* *Usus* corporis & sanguinis Christi credentibus ac incredulis est communis, non vero fructus: fideles sumunt ad vitam æternam, infideles ad æternum exitium & damnationem. Præclare hac de re loquitur *B. Lutherus Tom. II. Isleb. fol. 135. b.* Lieber Gott/ soll das so schwer Ding seyn/ daß man gläube/ ein Gottloser möge den Leib Christi im Brod empfahen/ so sie doch müssen gläuben/ daß der Teuffel Christum leiblich führet auf den Tempel und hohen Berg/ und hernach die Jüden ihn griffen und creutzigten. So müssen sie ja auch bekennen/ daß ein Gottloser das rechte Gottes Wort höret/ und wo es nicht das rechte Gottes Wort wäre/ so würde er nicht verdammet/ daß er nicht dran gläubt/ sondern thät recht/ daß er nicht gläubt an ein gleissend oder falsch Gottes Wort. Eben so ist auch von Gottes Nahmen / Tauffe und Sacrament zu reden/ es muß ja alles recht und warhafftig Gottes Nahmen/ Wort/ Werck seyn/ dadurch er mit uns handelt.

§. 15. Brevissime sententias nostras probabimus, & quidem initio, quod unum tantum sit baptisma, ex *Ephes. IV, 5.* ubi expresse ab *Apostolo* dicitur, ἓν βάπτισμα tantum esse. Ergo non duplex, uti *Calviniani* volunt. Vide, quæ supra diximus.

§. 16. Materiam terrenam Baptismi præcise esse aquam, & non alium liquorem, probatur ex *Joh. III, 5.* Ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Ex quo etiam perspicuum est, regenerationem ex aqua & Spiritu fieri. Quod vero omnino aqua naturalis hic intelligatur, constat etiam ex aliis *Scripturæ locis*, de eadem re loquentibus. Erat enim tum Ba-

ptismus aquæ, a Johanne introductus ex Dei mandato, in uſu. Ipſe Chriſtus juſſit gentes baptizari (aqua) in nomine Patris, Filii & Spiritus S. *Matth. XXIIX, 19.* Chriſtus mundat Eccleſiam lavacro aquæ in verbo *Epheſ. V, 26.* Deus ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Sp. S. *Tit. III, 5.* Aqua in baptismo ſalvat nos, *1. Petr. III, 21.* Quibus dictis Baptismus Eccleſiæ commendatur tanquam medium, per quod mundamur a peccatis, regeneramur, renovamur & ſalvamur, non vero virtute ipſius aquæ per ſe (prout *Calvinus* Noſtratibus falſo attribuit, quod præpoſtere fiduciam ſalutis ſigno ſive elemento includant) ſed virtute ſanguinis Chriſti per efficaciam Spiritus S.

§. 17. Ex hoc dicto *Joh. III, 5. 6.* etiam probatur, Baptismum omnibus Chriſtianis & infantibus quoque neceſſarium eſſe. Chriſtus ipſe facit hanc majorem: Τὸ γεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς, σάρξ ἐστι. Jam facile ſubſumitur: Omnis Chriſtianus & omnis infans natus eſt ex carne. Ergo caro eſt. Per vocabulum autem σάρξ, Scripturæ ſtylo, homo carnalis, h. e. peccaminoſus intelligitur: Jam quia homo carnalis non poteſt ingredi regnum cœlorum, nempe quatenus eſt caro, vel carnalis, niſi ſit regenitus ex aqua & Spiritu; Ergo omnibus, qui vitam æternam conſequi volunt, neceſſarius eſt baptismus. Denique ex h. l. etiam probatur contra *Calvinianos* & *Socinianos*, baptismum non eſſe nudam ceremoniam eccleſiaſticam aut ſignum tantum: nam ex aqua & Spiritu in baptismo regeneramur. Unde *Ezech. XXXVI, 25. 27.* cum effuſione aquæ mundæ Spiritus S. promiſſa donatio conjungitur.

§. 18. Semel tantum baptismum inſtitui debere, ac hominem æque poſt ac ante baptismum cum Deo reconciliari poſſe, prob. ex *Hoſ. II, 19.* וְאֵרַשְׂתִּיךְ לִי לְעוֹלָם

In

In Baptismo autem illa ſponſalia cum quibusvis fidelibus inſtituuntur: Non tamen ſenſus eſt, quod plane hæc ſponſalia, etiam ex parte hominis, ſint immutabilia; minime: homo enim ſæpe per peccata, hoc fœdus frangit, nihilominus, quando peccata ſua dolet, hujus fœderis recordatur, & vera fide Chriſtum iterum apprehendit; non nova copulatio vel ſponſalia inſtituuntur, ſed Chriſtus peccatorem, qui malevole divortium fecit, ex mera gratia lubens iterum aſſumit, & ad ſe vocat *Matth. XI, 28.*

§. 19. Falſitas ſententiæ hujus, qua ſtatuunt adverſarii, intentione Sacerdotis in Baptismo vel Sacramento ullo conferri gratiam, eamque id propter eſſe neceſſariam, probatur ex *Rom. III, 3.* Τί γὰρ, εἰ ἠπίστησάν τινες· μὴ ἡ ἀπιστία αὐτῶν τὴν πίστιν τοῦ Θεοῦ καταργήσει· μὴ γένοιτο. Argumentor: Si hominis incredulitas fidem Dei non facere poteſt irritam, ſequitur, quod abſentia intentionis Sacerdotis baptismum quoque non facere poſsit imperfectum, vel invalidum. Prius eſt. Ergo. Major facile probatur, quia baptismus ejusque virtus dependet a Deo, non autem a Sacerdote; ideo etiam intentio Sacerdotis inſtitutioni & eſſentialibus baptismi nihil addere, nihilque adimere poteſt, ſed ille tantummodo Miniſter eſt.

§. 20. Non conferre Baptismum gratiam ex opere operato, probatur ex *Marc. XVI, 16.* ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται· ὁ δὲ ἀπιστήσας, κατακριθήσεται. Unde intero: Quod Chriſtus ipſe in uſu ſacramentorum requirit, absque eo ſacramenta non poſſunt prodeſſe: Chriſtus ipſe in Sacramento requirit fidem. Ergo. Propoſitiones ex terminis conſtant.

§. 21. Peccatum non ita deleri in Baptismo, ut plane non ſit, ſed concupiſcentiam poſt baptismum etiam eſſe peccatum, probatur *Rom. VII, 23.* βλέπω δὲ ἕτερον νόμον

μὴν ἐν τοῖς μέλεσί μου ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοός μου, καὶ αἰχμαλωτίζοντά με τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας τῷ ὄντι ἐν τοῖς μέλεσί μου. Quid enim clarius his verbis Apoſtoli eſſe poterat, qui ſane ut renatus de rebellione carnis ſuæ conqueritur?

§. 22. Probo τὸ ῥητὸν retinendum eſſe in Sacramento ex *Gal. III, 15.* ὅμως ἀνθρώπου κεκυρωμένην διαθήκην οὐδεὶς ἀθετεῖ ἢ ἐπιδιατάσσεται. *Apoſtolus* argumentatur a minori ad majus, & loquitur, ut ipſe notat, humano more: Si hominis, inquiens, pactionem auctoritate confirmatam nemo abrogat, aut ei derogat, vel aliquid ipſi ſuperaddit, multo minus Dei pactio erit abroganda, aut ei quicquam derogandum vel ſuperaddendum. Unde ſic concludi poteſt: Quicunque pactionem auctoritate confirmatam abrogat, aut ei derogat, aut ipſi aliquid ſuperaddit, peccat. *Sociniani* & *Calviniani* pactionem, quam Chriſtus divina ſua auctoritate confirmavit, ſi non abrogare, tamen aliter explicare volunt. Ergo *Socin.* & *Calvin.* in hoc peccant. Major eſt certa. Minor patet: Verba enim tam clara & perſpicua ſunt, ut quilibet ſaniori judicio prædítus ea capere poſſit: In rebus fidei & myſteriis ſufficit, rem ſcire, modum inveſtigare non licet. Myſteria ſunt credenda, non curioſius rimanda. Igitur ſimplici fide credimus, corpus Chriſti in, cum, & ſub pane ore corporis eſſe comedendum, & ſanguinem Chriſti in, cum, & ſub vino ore corporis eſſe bibendum. Dicit enim Salvator: accipite, edite, hoc eſt corpus meum; &: accipite, bibite, hoc eſt ſangvis meus Novi Teſtamenti, qui pro vobis effunditur. Talia certe ſunt ſubjecta, qualia permittuntur eſſe a prædicatis: Harum autem prædicationum prædicata non permittunt, ut per particulam *hoc*, quæ loco ſubjecti in utraque prædicatione ponitur, panis in caſu re-

recto in illa, in hac vero vinum aut calix in casu recto intelligatur, quia alias falsæ, aut præter rem impropriæ prædicationes efficerentur. Debet igitur in casu recto aliud quid intelligi, quod in rei veritate ipsum corpus Christi, ipse sanguis Christi est. Unde oppido sequitur, corpus & sanguinem Christi vere & realiter esse præsentia in Sacra Cœna. Quicquid Salvator in S. Cœna ore corporis accipere & comedere jubet, illud vere & realiter est præsens in S. Cœna. Major est manifesta, nemoque, quod sciam, sive *Reformatorum*, sive *Socinianorum* hæc verba: *accipite & comedite*; aliter quam de vera orali manducatione intelligit, aut intelligenda esse vult. Atqui quoddam, quod Salvator in S. Cœna ore corporis accipere & comedere jubet, est corpus ejus, ceu *verba Institutionis* clarissime indicare videmus. Ergo. Idem de altera prædicatione, deque reali præsentia sanguinis Christi in Sacra Cœna, judicium esto.

§. 23. Impios æque ac pios, incredulos ac credentes accipere corpus & sangvinem Christi, probatur ex *1. Cor. XI, 29.* ὁ γὰρ ἐσθίων καὶ πίνων ἀναξίως, κρίμα ἑαυτῷ ἐσθίει καὶ πίνει, μὴ διακρίνων τὸ σῶμα τ̃ Κυρίε. Si indigne edentes & bibentes damnationem sibi ipsis edunt & bibunt, quia non discernunt corpus Domini, sequitur, etiam impios ac incredulos corpus Christi & sangvinem ejus ore corporis accipere. Prius est. Ergo. Maj. facile patet, quia nulli fidelium damnationem, sed vitam æternam, sibi edunt. Ergo omnino de infidelibus intelligendum, quod edendo corpus Christi, bibendoque sangvinem Christi, sine debita præparatione & absque vera fide, sibi damnationem edant & bibant. Apostolus enim expresse addit: μὴ διακρίνων τὸ σῶμα τ̃ Κυρίε, *non discernens corpus Domini.* Equidem *Wendelinus in Theol. Christ. L. 1. c. XXIII. p. 516.* in hoc allegato

gato argumento consequentiam negat, hanc addens rationem : *Quia reatus iste contrahitur non ex orali manducatione ipsius corporis Christi, & orali bibitione sangvinis Christi : sed ex indigna tractatione & profanatione sacrorum symbolorum, per infidelitatem & profanitatem indignorum. Cum enim sacra ista corporis & sangvinis sui symbola, sancte & religiose tractanda Ecclesiæ Christus reliquerit, utique vindicat eorum profanationem haud secus, ac si corpori & sangvini suo accidisset : veluti læsæ majestatis reus peragitur subditus, qui diploma Imperatorium vel Regium publice affixum sciens & volens refigit, conscindit & pedibus conculcat. Hinc Paulus non ait, reos fieri corporis Christi, qui indigne edunt Christi corpus, sed qui panem indigne edunt, 1. Cor. XI, 28. 29. &c.* Hactenus *Wendelinus.* Sed iste supponit, quod est in quæstione, imo quod aperte falsum, & verbis institutionis contrarium est : Nec vero Paulus dicit, *quia non discernit panem*, sed *quia non discernit corpus Domini.*

§. 24. Intentionem Sacerdotis in Sacramento necessariam esse, probant *Bellarminus, Lib. 1. de Sacram. p. 162.* aliique hoc modo : Si non requireretur intentio Ministri, sequeretur, puerum, quem parens duxerat ad balneum, eumque, aquis immersum, more Christiano signaverat cruce, ajens : lavo te in nomine Patris, Filii & Spiritus S. dicendum esse rite ac recte baptizatum, utut nihil minus, quam lavacrum baptismi, intendisset. Sed respondetur : Extra actionem a Christo institutam nihil est Sacramentum. Si Pater iste talia faceret, non exerceret actionem a Christo institutam, neque cum hac actione Spiritus S. efficacia ac gratia conjuncta esset. Ergo non esset Sacramentum baptismi. Conf. B. *Lutherus in Catechismo Majori de Sacram. Altar. de intentione Sacerdotis. p. 554. §. Ex bis, &c.*

§. 25.

§. 25. Objicitur a *Calviniani*s contra Baptismi unitatem, ut probetur exterior & interior, locus *Matth. III, 11.* ἐγὼ βαπτίζω ὑμᾶς ἐν ὕδατι, αὐτὸς (scil. ὁ ἐρχόμενος Χριστὸς) ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Sed frustra hæc inter se opponuntur: non enim duplicis baptismi illa descriptio est, sed est collatio duarum personarum: Christi & Johannis; quæ differunt tanquam causa principalis & causa instrumentalis, nempe ut Dominus & Servus. Adde, quod baptizare in Sp. S. interdum accipiatur pro effusione visibilium donorum Spiritus S. ut patet *Act. I, 5. II, 3. 4. XI, 16.* neque Baptista sola aqua baptizarit: alioquin non potuisset esse baptismus in remissionem peccatorum. Semper igitur valet distinctio etiam in Apostolorum & nostro baptismo, ut Minister dicatur causa organica, Christus vero causa principalis, *1. Cor. IV, 6.*

§. 26. Piget vel ullam objectionem tangere Adversariorum, alium liquorem, quam aquam, adhiberi posse in Baptismo statuentium, cum sane eas recensuisse, sit refutasse.

§. 27. Baptismum esse tantum ceremoniam Ecclesiasticam, *Sociniani* inde probare satagunt, quia Spiritus S. sæpe legitur post baptismum Apostolis datus. Sed pessime confundunt Spiritus S. sanctificationem, ejusque dona miraculosa. Spiritus S. ejusque dona sanctificantia una cum aqua in baptismo effunduntur, *Tit. III.* sed non dona Spiritus S. miraculosa, quæ baptismum seqvuntur.

§. 28. *Calviniani*, ut probent, baptismum tantum esse signum gratiæ divinæ, non vero ipsam gratiam divinam & Spiritum S. conferre, sic colligunt: *Si Sacramentis damus efficaciam operandi in nobis gratiam, damus illis, quod unice est opus Spiritus Christi.* Ita *Musculus in LL. p. 704.* Sed nego consequentiam: Nam nec nos tribuimus Sa-

Sacramentis efficaciam per se, sed hanc gratiam illis propter Spiritum Christi adscribimus, & tantum media vel organa esse dicimus.

§. 29. Eos, qui post baptismum prolapsi sunt in gravia peccata, non posse reverti ad navim baptismi, *Pontificii* probant ex *Ebr. VI, 4.5.6.* ἀδύνατον γὰρ τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας, γευσαμένους τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπουρανίου, καὶ μετόχους γενηθέντας πνεύματος ἁγίου, καὶ καλὸν γευσαμένους θεοῦ ῥῆμα, δυνάμεις τε μέλλοντος αἰῶνος, καὶ παραπεσόντας, πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν. Si fieri non potest, ut, qui semel fuerunt illuminati, gustaveruntque donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaveruntque bonum Dei verbum ac virtutes futuri seculi, si prolabantur, ut denuo renoventur per resipiscentiam; sequitur, prolapsos in gravia post baptismum peccata non posse ad navim baptismi reverti. Prius est. Ergo. Sed respondetur: Pontificii argumentantur ex falso principio. Apostolus enim h. l. non de hominibus quibusvis post baptismum in gravia peccata prolapsis, sed de peccatoribus in Spiritum S. loquitur. Vid. *B. Dannhaw. Hodos. p. m. 1422.* quod loca parallela *Ebr. X, 26. Matth. XII, 45. 2. Pet. II, 20.* indicant. Adsunt innumera dicta Scripturæ aliud probantia, in quibus cum Deo pactum Baptismi redintegrare jubemur, idque vere resipiscentes diligenter factitavere, dum lapsi recurrerunt ad promissionem gratiæ in baptismo exhibitæ, collatæ & obsignatæ, sicut *Petrus* a lapsu gravissimo erectus dicit: Baptisma nos salvat; & *Paulus*, Galatas graviter lapsos *Gal. I. & II.* consolaturus atque erecturus, baptismum eorum ipsis ob oculos ponit, inque memoriam piam ac firmam revocat. Idem *Gal. III, 27.* Corinthios non uno peccati genere contaminatos *1. Cor. I, 2. seqq.* dicit esse ablutos, nimi-

nimirum in baptismo *c. VI, 11.* idque eo fine, ut acta pœnitentia, inposterum toti adhæreant Christo.

§. 30. *Pontificii*, ut probent, peccatum totaliter tolli, ita ut etiam post baptismum proprie loquendo non amplius sit peccatum, objiciunt *Mich. VII, 19.* וְתַשְׁלִיךְ בִּמְצוּלוֹת יָם כָּל־חַטֹּאתָם; Si Deus in profundum maris projicit peccata nostra omnia, sequitur, nulla amplius post abjectionem reliqua esse. At prius est. Ergo. Sed hic valet illa regula Theologorum: Verba tollendi, delendi, auferendi non notant omnimodam peccati absentiam, sed vel perfectam satisfactionem vel plenam peccatorum remissionem. Vid. B. D. *Meisnerus in Anthropol. Decad. 1. Disp. IIX. Qv. 1. p. 305.* quod etiam ex Scriptura varie probatur, quia dicuntur peccata mundi tolli *Joh. I, 29.* ubi si totam peccati expulsionem, non autem satisfactionem intelligas, sequetur, totum mundum carere peccato. Est igitur dictum *Michæ* allegorice intelligendum. Quemadmodum enim, quod in profundum maris projicitur, non amplius in oculos incurrit; ita etiam Deus peccata nostra, ex mere gratuito favore, quem *Propheta* in præcedentibus deprædicaverat, a se & oculis suis projicit in gratiæ, misericordiæ suæ & meriti Christi abyssum, h. e. non amplius imputat. Idem nempe vult *Propheta*, quod *David Psalm. XXXII, 1. 2.* ubi peccata nostra dicuntur tegi & non imputari. Quemadmodum enim illud, quod in profundum maris projicitur, fluctibus tegitur, ut non amplius in conspectum hominum veniat; ita etiam Deus peccata nostra vult projicere & non amplius oculis rigorosæ justitiæ intueri. Uti autem non sequitur, quicquid in profundum maris abjicitur, vel projectum est, non amplius esse: est enim adhuc in mari, etiamsi non conspiciatur; ita etiam non sequitur: peccata nostra projecta sunt in profundum maris, h. e. obtecta sunt mari

 misc-

misericordiæ Dei & sangvinis Christi. Ergo non amplius adsunt. Sed rident hanc explicationem *Pontificii*, inprimis *Becanus L. 1. Manual. c. XVI. Qv. 3. N. 3.* scribens: *Miror eos, qui sic sentiunt, non advertisse ex hac sua doctrina aperte sequi, similes esse sepulchris dealbatis, quæ intus plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia: Similes virginibus fatuis, quæ non habent oleum justitiæ in lampadibus suis, existimantes alienum oleum sibi sufficere. Similes hœdis fœtentibus, qui ovium numero a Pastore censentur. Similes lupis, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt feræ rapaces. Quid enim aliud est homo justificatus apud eos? Interius peccatis ac flagitiis plenus est: oleum justitiæ ac sanctitatis in corde non habet: hirci instar, fœtorem flagitiorum exhalat, contumeliis & convitiis non aliter quam lupus mordacitatem ostendit. Et tamen, quia innocentis agni vestimentis se texit, inter agnos, si Diis placet, reputari vult: quia stulte præsumit, alienum oleum sibi profuturum, de acquirendo proprio sollicitus non est: quia exteriorem parietem veste candida obduxit, internam spurcitiam latere posse existimat.* Idem *Tom. I. de Justificat. c. XIII. p. 365.* inquit: *Sit pauper aliquis, plenus scabie, ulcere, putredine, & vitiosis humoribus, is medicum adeat, ut sanari possit. Quid porro medicus? nimirum, ægroto offerret suam chlamydem nitidam, elegantem, elaboratam. Hortabitur, ut manu eam apprehendat, circumponat, scabiem tegat, ac deinde magna securitate in conspectum sui Principis accedat: quippe qui fœditatem corporis tam eleganti pallio obductam, videre non possit. Plane sic res habet in justificatione Calvinistica: peccator, qui propter suorum scelerum horrorem ac turpitudinem, in conspectum Dei venire non audet, a Christo medico subsidium petit. Christus offert illi suam justitiam & satisfactionem, tanquam pretiosam chlamydem: hortatur ut fide eam apprehendat, eaque sua flagitia,*

tia, quasi velo quodam tegat: ac deinde confidenter & audacter in conspectum Dei se sistat: a quo sine dubio innocens & mundus declarabitur, etiamsi revera non sit. Hæc apud Calvinistas: videat nunc pius lector, quo pacto justificari velit, Catholice, an Calvinistice? Hactenus *Becanus*. Verum nobis sufficit, Deum nos mundos æstimare, oculosque ejus nullam in nobis maculam, nullumque propter Christum κατάκριμα (*Rom. IIX, 1.*) in nobis videre velle.

§. 31. *Sociniani*, ut probent, τὸ ῥητὸν in verbis S. Cœnæ non esse servandum, argumentum petunt ab exemplo Christi, qui discipulis, de veritate corporis ejus dubitantibus, mandabat, ut corpus suum tangerent, quo fides eorum firmaretur, & dubitationi de veritate resurrectionis nullus remaneret locus. Verba *Slichtingii contr. Meisn. de Trinit. fol. 711.* hæc sunt: *Quid? Christi resurrectionis fides, quæ religionis nostræ basis est & fundamentum, nonne sensuum testimonio nititur, iisque stabilita est? At vero in hoc ritu sacro non carnem & sanguinem, sed panem ac vinum edi ac bibi agnoscet, quisquis auditu, visu, tactu, gustu, odoratu destitutus non est.* Unde hoc facile formari potest argumentum: Quemadmodum Christus veritatem sui corporis comprobavit, ita & nos illam probare decet. Atqui Christus veritatem corporis sui visu & tactu probavit. Ergo. Et consequenter, quia probari non potest, verba etiam institutionis non, prout jacent, intelligi possunt, quia alias sequeretur, Christum revera adesse, cum tamen videri non possit. Nam ubi Christi corpus præsens est, ibi videtur. In Sacra Cœna vel in hostia, quam vocant, non videtur. Ergo. Quid vero hic respondendum sit, supra indicavi, distinguendo nimirum inter corporis attributa *essentialia* & *accidentalia*: sine illis corpus non adest, sine his autem bene adesse potest. Jam ad probationem

illam, qua ſuum corpus adeſſe poſt reſurrectionem probatum dedit, reſpondeo, Chriſtum ibi ſe obtuliſſe oculis ex libera & voluntaria diſpoſitione, a qua tamen ad modum præſentiæ in Sacra Cœna, non licet argumentari. Ordinarie neque oculus nondum glorificatus corpus glorificatum videre, neque manus tangere poteſt; utut Chriſtus extraordinarie uni vel alteri ſeſe manifeſtaverit, ut Thomæ, cui etiam dixerat: *Thoma, quia me vidiſti, credis, ſed beati, qui non vident, & tamen credunt. Joh. XX, 27.* Hinc *B. Lutherus: Etiamſi*, inquit, *infinitæ Diabolorum myriades una cum omnibus Swermeris, uno ore impudentiſſime affirmarent, quomodo panis & vinum Chriſti corpus & ſanguis eſſe poſſunt? &c. tamen compertum habeo, omnes ad unum ſpiritus & doctos non tanta excultos eſſe prudentia atque intelligentia, quanta Deum omnipotentem vel in minimo digitulo valere, certo ſcio. Jam hic expreſſe Chriſti verbum ponitur: Accipite, edite, hoc eſt corpus meum, bibite ex hoc omnes, hic eſt calix novi Teſtamenti in meo ſangvine, &c. In hæc verba pedibus imus, hiſce conſtanter adhæremus, perlibenter eos viſuri, qui ſuo magiſterio Chriſtum aliter audeant docere, aut aliter facere, atque ipſe locutus eſt.* &c. Vid. pluribus *Catech. Maj. p. 554.* Ergo non patimur nos adſtringi rationi, ſed verbis Chriſti diſertis. Nam non ſequitur: Corpus Chriſti non videtur, non palpatur. Ergo non comeditur: Illud tantum ſequitur: Corpus Chriſti non videtur, non palpatur. Ergo non capernaitice comeditur.

§. 32. Quid *Pontificii* ſolidi objiciant, quo probent tranſubſtantiationem, nondum invenerunt: quapropter illud dogma eo magis figmentum ſubolet humanum; adeoque brevitatis cauſa, illorum nullius plane momenti argumenta hic reticemus. Equidem haud vulgaris eruditionis

nis Jesuita *Becanus* non erubuit pro insolubili argumento venditare, quod ipsissima verba institutionis hoc modo suppeditent: Hoc, quod Christus dat discipulis, dicens: Accipite, comedite; est corpus Christi. Hoc, quod Christus dat discipulis, est panis: fregit namque panem, & dedit discipulis. E. panis non amplius est panis, sed corpus Christi, adeoque mutatum in corpus Christi. Ast majore & minore concessa, rectissime adhuc negatur conclusio; quia syllogismus *Becani* in forma vitiosus est, & a non distributo ad distributum progreditur, quo *Becanus* aut sibi primum, deinde aliis imposuit, aut Sophistam egit.

§. 33. *Wendelinus*, ut probet, infideles non fieri participes corporis & sanguinis Christi, pro præcipuo argumento sequens venditat: *Quia destituti sint organo accipiendi carnem & sanguinem Christi, nempe vera fide.* Sed hoc, quod petebatur in principio, prius probandum erat, corpus & sanguinem Christi non comedi & bibi ore corporis, quod tamen proprietas phrasium vel verborum: *accipite, comedite, & bibite;* luculentissime indicat. Ideo *B. Lutherus l. c. p. 555.* inquit: *Propter personæ indignitatem aut incredulitatem, verbum non fit falsum aut irritum, per quod Sacramentum factum & institutum est. Neque enim dicit: quando credideritis aut digni fueritis, tum corpus & sanguinem meum habebitis, sed: accipite, edite, bibite, hoc est corpus meum & sanguis meus. Et iterum, Hoc facite, nimirum quod ego jam facio, instituo, vobis edendum & bibendum porrigo. Hoc perinde valet, ac si dixisset: sive dignus sive indignus fueris, hic corpus & sanguinem meum habes, horum verborum virtute, quæ pani ac vino adjecta sunt. &c.*

DISPUTATIO X.

CONTROVERSIA XXIIX.

Vera Ecclesia proprie est congregatio sanctorum, & vere credentium, ac recte dividitur in visibilem & invisibilem, illiusque notæ sunt: pura verbi divini prædicatio, & legitima Sacramentorum administratio.

§. 1.

Status Controversiæ circa materiam de vera Ecclesia bene est observandus. Non enim quæritur hic de *Ecclesia triumphante*, quæ quamvis sit congregatio sanctorum & vere credentium, tamen cætera verba, quæ in thesi sequuntur, huic applicari nequeunt. Hæc enim sano sensu est Ecclesia vel congregatio sanctorum demortuorum & ex hac miseria abreptorum, qui jam quoad animam in cœlis, æternis & ineffabilibus fruuntur gaudiis, quibus omnes adhuc morituri & in Domino obdormituri adnumerabuntur. In universum est cœtus electorum, qui omnibus adversi-

ta-

tatibus erepti cum Christo capite ſuo in cœleſti gloria & æterna felicitate vitam agunt.

§. 2. Sed hic ſermo eſt de *eccleſia militante*, quæ adhuc in terris congregata dicitur. Quo interim non obſtante, dicendum venit, Eccleſiam militantem & triumphantem non eſſe duas diverſas Eccleſias, ſed ejusdem Eccleſiæ partes. Nam Eccleſia triumphans, quæ in cœlis, & militans, quæ in terris eſt, ejusdem Eccleſiæ membra ſunt, & idem habent caput nempe Chriſtum, utut in eo ab invicem differant, quod Eccleſia triumphans ſit ſuam felicitatem conſecuta, militans vero eam aliquando conſecutura; illa nunquam iterum futura ſit militans, tamen fuerit: hæc aliquando futura ſit triumphans. Certum quoque manet, quod πρόσκαιροι ſint quidem vera membra Eccleſiæ militantis, quamdiu veram habent fidem; nunquam vero futuri ſint membra Eccleſiæ triumphantis.

§. 3. Diſtinguitur Eccleſia in viſibilem & inviſibilem: Illa denotat cœtum extrinſecus Chriſtianam religionem profitentium, hoc eſt, recte pureque docentium & diſcentium verbum Dei, atque legitime adminiſtrantium Sacramenta, iisque utentium: Hæc vero cœtum vere credentium in ipſo viſibili vocatorum cœtu. Unde viſibilis ratione externæ profeſſionis fidei dicitur, inviſibilis ratione internæ fidei, cum ſolus Deus perſpectum habeat, quinam ſint vere credentes. Atque ſic Eccleſia eſt cœtus ſanctorum & vere credentium, qui Chriſto capiti ſuo per fidem adhærent. Hanc diſtinctionem Pontificii acerrime perſtringunt & falſe rident, vocantque eccleſiam inviſibilem eccleſiam allegoricam, phantaſticam, metaphyſicam, ſtigmaticam & imaginariam. Et *Bellarminus Lib. III. de Eccleſ. milit. cap. XII.* ait: *Non poſſe unum ſaltem locum proferri, ubi nomen Eccleſiæ tribuatur congregationi inviſibili.*

li. Quasi vero semper necessum sit, eadem, quibus utuntur Theologi ad rem eo clarius proponendam, verba in Scriptura reperiri; sufficit, si res ipsa adsit. *Perinde enim sunt ea, quæ ex Scripturis colliguntur, atque ea, quæ scribuntur;* ut loquitur *Nazianzenus lib. 5. de Theologia.* Vid. *B. Joh. Gerhard. in Exegef. Loc. I. de Scriptura Sacra*, præclare contra *Bellarminum* differens, *cap. XVIII. §. 366.* Deinde *Bellarminus* & alii falso sibi persuadent, nos duas sibi immediate oppositas fingere ecclesias. Conf. *Bellarm. l. c. c. IX. ad obj. 8.* Hoc vero nobis nunquam in mentem venit; unica quidem est ecclesia, sed sunt diversi modi considerandi unam veram Ecclesiam: qui tamen non reddunt ecclesiam in seipsa diversam, aut multiplicem. Quando autem vocabulo *invisibilis* utimur, non tam ipsa membra ecclesiæ qua talia, sive nuda subjecta intelligimus, quæ omnino eatenus visibilia sunt & dicuntur, quatenus sunt homines, qui sacros cœtus frequentant, verbum Evangelii audiunt & Sacramentis utuntur: quam quia fides ipsorum & electio Deo quidem nota est, humanis vero oculis, uti dixi, non patet, & hoc respectu cœtus ille appellatur ecclesia invisibilis.

§. 4. Ita vero rursus Ecclesia distingvitur in *universalem* & *particularem*: *Universalis* Ecclesia dicitur tota illa collectio, veram religionem amplexa, perque orbem terrarum longe lateque diffusa: *Particularis* Ecclesia dicitur, quæ certo aliquo loco continetur, estque vel *diœcesana*, quam nonnulli vocant, in certo regno & ditione, *Act. IX, 13.* vel *oppidana*, in certa urbe aut pago, *Act. XIV, 21.* vel *domestica*, in certa familia, *Rom. XVI, 5. 1. Cor. XVI, 19.* Omnes autem hæ denominationes synecdochice sumuntur, prout vere credentibus admixti sunt & esse possunt infideles, tam in Ecclesia universali quam particulari, tam in diœcesana, op-

oppidana, quam domestica; qui quidem dici possunt esse in Ecclesia, sed non de Ecclesia. Et hi sunt, quos volumus exclusos, quando diximus, ecclesiam proprie esse congregationem sanctorum & vere credentium. Quæ tamen distinctio in Pontificiorum oculis sudes est, unde uno ore docent, malos ac incredulos æque pertinere ad veram Ecclesiam, ac probos & credentes. Vid. *Bellarm. L. III. de Eccl. Mil. c. III.* Aſt orthodoxi omnes negant: quia infideles non sunt membra corporis mystici, cujus caput est Christus; quippe Christus non est caput membrorum sibi contrariorum. Nec est quod excipiatur, sæpe in ecclesia vera multos, multa committere grandia mala & vitia, & tamen vera Christi dici membra. Quia aliud est, ad tempus a Christo deficere & capiti adversari, aliud, penitus & finaliter in peccatis perseverare.

§. 5. Cum vero Ecclesiæ particulares in orbe terrarum dentur plures, eæque in ceremoniis & ritibus Ecclesiasticis dissentientes, oportet nosse, quibus indiciis & notis dignoscenda sit vera ecclesia a falsa? Pontificii varias veræ Ecclesiæ faciunt notas, quas omnes jam examinare non fert ratio instituti & temporis; ideo brevissime dicimus, Ecclesiæ notas non esse antiquitatem, durationem, amplitudinem, successionem Episcoporum &c. Vid. *Bellarm. L. IV. de Eccles. cap. III. & seqq.* ubi quindecim proponit Ecclesiæ notas; Sed *veram, puram ac sinceram verbi Dei prædicationem*; & *legitimam Sacramentorum administrationem.* Quod deinde probabimus. Uti vero Pontificii hic in excessu, ita Sociniani in defectu peccant, quia hi plane omnes notas Ecclesiæ negant. Sic namque *Smalzius* c. *Franz. p. 282. Notæ Ecclesiæ nullæ sunt, nec, ut sint, necesse est. Vera & sincera doctrina non est quidem nisi in vera ecclesia, & ecclesia sine doctrina vera, vel, ut rectius loquar, sa-*

lutari esse non potest, non est tamen nota Ecclesiæ doctrinæ veræ & salutaris. Sed huic opponimus socium *Theophil. Nicolaidem in Defens. Tract. de Eccles. contr. Miedzyboz. cap. IV. p. 100. coll. 103.* ita scribentem: *Si quæratur, ubinam & apud quos sit Christi ecclesia visibilis, certum est, eum rectissime procedere, qui affirmet: ibi esse ecclesiam veram, ubi est doctrinæ salutaris professio, & frustra eum contendere, Ecclesiam ibi esse, ubi non est salutaris doctrina.* Quibus ipse *Nicolaides* indicat, notas ideo esse necessarias, quia ad quæstionem: *Ubi est vera Ecclesia?* respondendum: *ubi sunt veræ Ecclesiæ veræ notæ,* si porro quæratur: *quæ sunt veræ notæ?* inquit: doctrinæ salutaris professio. Vid. B. *Scherzeri Breviar. Hulsemann. enucleat. c. XVII. θ. XXXVII. p. 1330. seq.* Jam addimus: Quicquid ex Sacra Scriptura de vera ac pura verbi Dei prædicatione vel professione hic dicitur, illud etiam, quantum ad præsens, de recto ac legitimo Sacramentorum usu intelligendum est. Et sic, quatenus notam admittit, cum nobis consentit, non vero nos cum eo, quatenus dicit, primo esse ecclesiam, deinde ecclesiæ notas quærendas; quia alias sequeretur, hominem gentilem veram posse quærere Ecclesiam, cum tamen prius, ut notæ perspectæ sint, necessum sit, antequam de ecclesia judicare velit, aut valeat, an vera sit? Nam nemo venit ad Christum, nisi eum trahat Pater: trahit autem, uti loqvuntur *Theologi* nostri, per rete verbi & Sacramentorum.

§. 6. Probo, Ecclesiam proprie dictam esse congregationem sanctorum & vere fidelium, ex *Epbes. IV, 15.* ubi Christus dicitur κεφαλὴ ἐκκλησίας, Ecclesia vero πᾶν τὸ σῶμα ipsiusque ecclesiæ membra μέρη *vers. 16.* dicuntur: Ast impii non sunt membra capitis Christi, quia non habent Spiritum Christi: qui vero Spiritum Christi non habet, non est ejus *Rom. IIX, 9.* Quicunque sunt membra corporis

ris mystici h. e. Ecclesiæ, illi etiam sunt membra capitis Christi. Sed Infideles non sunt membra capitis Christi. Ergo. Maj. est clara. Minor constat ex dictis.

§. 7. Totam Ecclesiam posse esse invisibilem, probatur ex *1. Reg. XIX, 14.* אוֹתִר אֲנִי לְבַדִּי: *& vers. 18.* וְהִשְׁאַרְתִּי בְיִשְׂרָאֵל שִׁבְעַת אֲלָפִים כָּל־הַבִּרְכַּיִם אֲשֶׁר לֹא־כָרְעוּ לַבַּעַל וְכָל־הַפֶּה אֲשֶׁר לֹא־נָשַׁק לוֹ: Propheta enim putabat nullum amplius supereſſe veræ Ecclesiæ membrum; ideo dicit: *remansi ego solus;* eo quod nullum conspiceret, aut conspicere posset, externum veri Dei cultum. Sed Deus indicabat Prophetæ, non valere hanc consequentiam: Nullus in terris amplius conspicitur externus veri Dei cultus, nulla veræ fidei professio, nec conspici potest, quia nullibi est. Ergo nulla supereſt vera Ecclesia militans. Negatur, ait quasi Deus, hæc tua consequentia. *Reservavi in Israele septem millia: omnia genua, quæ non curvaverunt sese ipsi Baal: & omne os, quod non osculatum est eum.* Unde sic facillime concludi potest: Si illa septem millia virorum eo tempore fuerunt vera Dei Ecclesia, cessante omni externo veri Dei cultu visibili, sequitur, dari veram Ecclesiam posse, utut non sit visibilis. Prius est. Ergo. Maj. est ex terminis manifesta. Min. est in textu. Nec exceptio Pontificiorum quicquam valet: tempore Eliæ fuisse visibilem Ecclesiam sub Josaphato Rege Judæ, itemque verba Eliæ intelligenda esse non generatim de quibusvis fidelibus, sed tantum de Prophetis, quos omnes dicat occisos, ut ipse solus remanserit. Nam quæstio ejus loci tota est de Ecclesia Israelitica sub Achabo & Jesabel, non de solis Prophetis, ex quibus ille solus remanserit, sed in genere de fidelibus; quod probatur (1) ex ipsius verbis *1. Reg. XIIX, 21. seqq. c. XIX. 10.* ubi conqueritur de generali apostasia Israelita-

rum, quod pacto Dei violato, cultum Baaliticum sequantur, & ministerium sacrum aboleverint, sublatis e medio veris Dei Prophetis & cultoribus, ut ipse in præsentissimo vitæ periculo versaretur. (2) Ex responsione Dei de septem millibus (non Prophetarum sed) fidelium adhuc reliquis. (3) Ex applicatione Apostolica *Rom. XI, 3. 4.* Conf. *Matth. XXIV, 24. Luc. XIIX, 8. 2. Thess. II, 1. seq. Apoc. XII, 6.*

§. 8. Notas veræ Ecclesiæ tantum esse duas supra citatas, probatur argumento, quod habetur in *Disp. Giess. Tom. IIX. Disp. XVI. th. 28.* Quicquid (α) Ecclesiam plantat ac constituit, (β) certo notificat ac ostendit, (γ) ab aliis quibusvis cœtibus infallibiliter separat & distinguit, illud omnino veræ Ecclesiæ vera ac genuina erit nota. Atqui sincera verbi prædicatio, & legitima incorruptaque Sacramentorum administratio &c. Ergo. Vid. probatio *ibidem* fusius deducta. Excipiunt *Pontificii, nos confundere officia Ecclesiæ cum notis & signis.* Verum distinguere ipsi nobiscum debebant inter prædicationem verbi, & administrationem Sacramentorum, prout consideratur respectu ecclesiæ constituendæ, & ut spectatur respectu jam constitutæ. Illo modo largimur, sano sensu priorem ecclesia esse *causam ejus organicam*, quia per verbum & Sacramenta Christo colligitur & conservatur: Hac vero ratione ejus *effectus & officium est*, alios verbum Dei recte, sufficienter ac pure docere, & Sacramenta legitime dispensare. Neque obstat, notas istas, quas diximus, esse principia constituentia unumquemque fidelem. Non enim implicat, unum & idem constituere Christianum, & deducere ad cognitionem Ecclesiæ veræ. Sicut anima tationalis forma hominis & ejus nota est. Et principia essendi simul sunt principia cognoscendi in omni sana philosophia. Etiam definitio est forma, quæ definitum constituit quoad

se,

se, & tamen simul notificat quoad nos. Vid. *B. Scherz. loc. cit.*

§. 9. Notas Ecclesiæ a Pontificiis proponi solitas, si occasio dabitur, examinabimus in ipsa συζητήσι. Quas inter plures Doctores alios prolixe etiam refutavit B. D. *Brochmandus Syst. Theol. art. de Eccles. cap. II. Qv. VII. p. m. 272. a. seqq.* Add. *B. Scherzerus l. c. p. 1331. seqq.*

§. 10. Objicitur, quod etiam infideles ad proprie dictam Ecclesiam pertineant, *1. Cor. XII, 13.* πάντες εἰς ἓν σῶμα ἐβαπτίσθημεν. Requirunt nempe *Pontificii* a veris veræ Ecclesiæ membris Sacramentorum communionem, aliasque conditiones, quas enumeravit *Bellarminus L. III. Tom. II. de Eccles. cap. II. lit. D. fol. 108. & 109. seq.* Positisque his conditionibus, omnes homines, si vel maxime reprobi, occulti, infideles & gravissimi peccatores sint, ad veram Ecclesiam proprie sic dictam pertinere asserunt, quod ex allegato loco probare ita conantur: Quicunque in unum corpus baptisatus est, ille pertinet ad veram Ecclesiam. Sed omnes baptizati in unum corpus baptizati sunt. Ergo. Resp. limitando majorem: Quicunque in unum corpus baptizatus est, is *quatenus* baptizatus est in unum corpus, fœdusque, quod cum Deo iniit, non rumpit, est & manet Ecclesiæ membrum. Sed sic negatur minor. Quia experientia, proh dolor! quotidiana testatur, multos fidem in baptismo per Spiritum S. accensam per peccata extingvere ac amittere, hocque ipso veræ Ecclesiæ proprie dictæ membra esse desinere. Tamdiu enim quis membrum Ecclesiæ est, quamdiu vita impia & infidelitate a vite Christo, cui tanquam palmes per baptismum insitus fuit, non exscinditur *Joh. XV, v. 2. seqq.*

§. 11. Contra nostras Ecclesiæ notas objiciunt *Pontificii*: Nullam esse hodie hæresin, nec ullam unquam fuisse sectam, quæ non jactet, apud se esse puram verbi divini doctrinam &

legitimum Sacramentorum uſum. Vid. *Bellarm. L. IV. de Eccleſ. cap. II. L. D. p. 162.* Reſpondetur, Romæ non videndum eſſe, quis dicat, ſed quid dicat? Etiam Diabolus, ſat antiqvus ille traditionum Pater & Patriarcha, mentitur ſe angelum lucis. Ergone pro angelo lucis habendus, & ex Pontificiorum falſisſima hypotheſi in honorem ejus Templum Deo conſecrandum? Non, quid jactitent hæretici variæque ſectæ, ſed, quid verbo Dei conveniat, conſiderandum, indeque etiam judicium de vera ac pura verbi Dei prædicatione ac legitima Sacramentorum adminiſtratione ferendum. Quicunque enim verbum Dei in alium, quam a Spiritu S. intentum, detorquent ſenſum, profecto de pura verbi Dei prædicatione gloriari minime poſſunt. Quique Sacramenta aliter, atque a Chriſto ſunt inſtituta, adminiſtrant, etiam Sacramenta nequaquam ut notas veræ Eccleſiæ habere queunt.

§. 12. *Sociniani* objiciunt contra has notas (1) *Nota debet eſſe notior notato. Atqui vera doctrina non eſt notior Eccleſia. Tam enim incertum eſt, ubi ſit vera Eccleſia, quam incertum eſt, ubi ſit vera doctrina. Ergo.* Hæc *Smalzius c. Franz. p. 282.* Reſp. negando minorem cum probatione, quia pura verbi divini prædicatio non ſolum diſtincta eſt ab Eccleſia vera, habetque ſe ad eam, ut effectus ad cauſam, adeoque etiam ea notior eſt, cum in ſenſus incurrat; Eccleſia vero ut talis minime. Objiciunt (2) *Poteſt eſſe uſus Sacramentorum maxime legitimus inter eos, qui non ſunt Chriſti populus, ſi ſcilicet in aliis rebus ad ſalutem pertinentibus errarent & impie viverent*; verba ſunt *Smalzii cit. loc.* Reſp. Obſtat Sacramentorum, præſertim Baptismi efficacia, quo minus illorum uſus legitimus inter eos ſit, qui tamen nullatenus ac ex nulla ſui parte eſſent populus Dei: Ad minimum enim iſte populus quoad infantes baptizatos populus Dei eſſet.

CON-

CONTROVERSIA XXIX.

Tota Ecclesia visibilis potest errorem in fide fundamentalem unum pluresve errare.

§. 1.

REpetenda est ex proxime præcedenti controversia distinctio inter Ecclesiam proprie & synecdochice sumtam, ut status controversiæ recte formetur. Huc namque redit tota quæstio: An fieri possit, ut in omnibus cœtibus ex vere credentibus & admixtis malis aggregatis mali & hypocritæ prævaleant vere credentibus & sanctis, & per ministerium corruptum doctrinæ publicæ verbi divini admisceant falsas doctrinas erroresque fundamentales, vere credentibus non plane deficientibus aut deletis, sed sub errantium multitudinela titantibus? Ubi orthodoxi Theologi omnes affirmantem sententiam defendunt, docentque, fieri posse, ut, quemadmodum cœtus jam dantur ex vere credentibus & admixtis malis aggregati, in quibus per ministerium publicum doctrina fidei incorrupte traditur; sic justa Dei permissione, ubivis locorum hypocritæ & mali prævaleant in Ecclesia Christi, ut penes eos sit constitutio ministerii publici, illorumque ope & studio ipsi doctrinæ fidei nullibi non corruptelæ & doctrinæ falsæ, erroresque fundamentales admisceantur.

§. 2. Negantem sententiam tuentur *Pontificii*. Ita enim

Bellar-

Bellarminus L. III. de Eccles. Mil. c. XIV. Nostra, inquit, *sententia est*, *Ecclesiam* (intelligit visibilem Romano-Catholicam) *absolute non posse errare*, *nec in rebus absolute necessariis*, *nec in aliis*, *quæ credenda nobis proponit*, *sive habeantur expresse in Scripturis*, *sive non.* Imo eo audaciæ procedunt *Pontificii*, ut contendant, quod, sicuti Christus est caput Ecclesiæ invisibile, ita requiratur etiam in terris, ut sit unum caput visibile Ecclesiæ, quodque ille vicarius capitis invisibilis ipsumque caput visibile sit Pontifex Romanus. Quod autem Pontifex Romanus hujusmodi regimen sibi arrogat, & omnibus, etiam multis invitis & contradicentibus protestantibusque Ecclesiis particularibus, per modum universalis Monarchæ præesse cupit, hoc ipso fatetur, se non verum Ecclesiæ Episcopum, sed Anti-Christum.

§. 3. Nostram sententiam probamus inde, quia potest sane tempus persecutionis ingruere, ubi cessat ubivis locorum publica Evangelii prædicatio & Sacramentorum administratio. Exemplum (α) occasione proxime præcedentis controversiæ vidimus in Ecclesia V. T. tempore Eliæ *1. Reg. XIX, 18. Rom. XI, 4.* (β) Videmus in ea tempore Christi, ubi fermento Pharisæorum & Scribarum ita erat corrupta, ut publicus cultus non esset purus ac sincerus, sed horrendis superstitionibus ac erroribus maxime fundamentalibus corruptus. (γ) In Ecclesia N. T. tempore Arrianismi longe lateque se per eam diffundentis, ubique locorum, præsertim apud Orientales, ministerium publicum erat Arriana hæresi contaminatum, vere credentibus & sanctis ita latentibus.

§. 4. *Pontificii* objiciunt locum *1. Tim. III, 15.* ἔστιν ἐκκλησία θεοῦ ζῶντος στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. Si Ecclesia est Dei vivi columna & stabilimentum veritatis, non potest errare. Sed prius est. Ergo. Resp. limitando majorem:

rem: Si Ecclesia visibilis qua talis est Dei vivi columna &c. Sed sic negatur minor: nam quatenus est Ecclesia vera proprie dicta, & quat. capiti Christo fide juncta inseparabiliter adhæret, non potest errare: quod autem tota Ecclesia visibilis qua talis separare sese possit, in βεβαίωσι probavimus. Deinde nec est, quod vocabulum στύλε vel ἑδραιώματος adeo urgeant. Nam στύλοι fuerunt columnæ in curiis ante prætoria erectæ, ad quas decreta & leges appendebantur, referente *Josepho Lib. I. Antiquit. cap. III. p. 6. Plin. lib. I. N. H. cap. XXXIII. 2. & 3. p. 641. N. 10.* ἑδραίωμα vero proprie & primo non est firmamentum aut στήλιος, sed sedes, sella, repositorium, ab ἑδράζω colloco. Vid. *Thesaurus Ecclesiasticus Suiceri, sub hisce vocabulis:* Ecclesiæ itaque officium est, veritatem cœlestem promulgare & conservare juxta illud Pauli *Rom. III, 2.*

§. 5. Porro objiciunt *Pontificii* (nam dicta alia, quæ objiciunt de promissionibus finalis in fide perseverantiæ, non agunt de Ecclesia visibili qua tali) tria gravissima sequi incommoda. (1) Nescient fideles, cujus societatis fidem amplecti debeant, & cujus societatis præceptis secure obtemperare possint. (2) Nec certus esse poterit infidelis & paganus, quo ipsi eundum sit, ut veram discat fidem. (3) Fallent promissiones Christi, de regno amplissimo & illustrissimo & omnibus hostibus huic regno subjiciendis, si negetur ecclesiæ visibilitas. Vid. auctt. Pontiff. apud *B. D. Brochmand. Syst. Theol. Art. de Eccles. cap. II. Qv. I. p. m. 261. b.* Respondetur, in vocabulo fidei latere quandam ambiguitatem: datur enim *fides, quæ* creditur, datur etiam, *qua* creditur. De posteriori *Pontificii* loqui h. l. non possunt, cum fides in hoc significatu sit insensibile opus Dei *Joh. VI, 29. Phil. I, 29.* Unde respondeo, si jam sint fideles, ceu vocantur, voluntatem Dei & dogmata ac præcepta perspecta ha-

habeant, neceſſum eſt. Si hoc: non ponderant præcepta, quatenus ab hac vel illa ſocietate proponuntur, ſed quatenus cum Scriptura Sacra Canonica conveniunt, ſicque tuti ac ſecuri ſunt, quamdiu audiunt doceri id, quod Scriptura Sacra Canonica docet.

CONTROVERSIA XXX.

Uti Deus nemini in tempore æternam ſalutem actu confert, niſi ob meritum Chriſti finali fide ab eo, quem æternum ſalvat, apprehenſum; neminemque in tempore æternum damnat, niſi ob finalem incredulitatem: ita nemo actu in tempore æternum ſalvatur aut damnatur, niſi quem Deus ab æterno ob meritum Chriſti finali fide apprehenſum elegit ad æternam ſalutem, aut ob finalem incredulitatem reprobavit.

§. 1. Nul-

243.

§. 1.

NUllum hic abſolutum Dei decretum ſive electionis ſive reprobationis eſt aſſerendum : Sumitur autem abſolutum non in oppoſitione ad conditionatum, quia ab æterno Deus omnibus hominibus finaliter in Chriſtum credituris abſolute decrevit conferre æternam ſalutem, omnesque homines finaliter incredulos abſolute decrevit æternum damnare ; ſed in oppoſitione ad ordinatum. Syllogismus enim prædeſtinatorius, hic eſt : *Quicunque meritum Chriſti finali fide eſt apprehenſurus, ſit electus ad æternam ſalutem.* Hanc majorem conſiderare licebit, ac ſi Deus formaſſet noſtro concipiendi modo nullo habito reſpectu ad ſubjecta eligenda : Sciverat certe Deus ab æterno, omnes homines in uno homine eſſe peccaturos, ſeque reos facturos æternæ damnationis, unde ex mere gratuito favore ab æterno voluit, ut omnibus, qui non culpa ſua in tempore iſtud medium eſſent repudiaturi, finalis fides in Chriſtum actu daretur, imo omnibus ac ſingulis, quantum in ſe eſt, voluit finalem fidem dare, *2. Pet. III, 9. 1. Tim. II, 4.* Hæc major dicitur προθεσις. *Atqui hic* (iſte vel ille, Petrus, Paulus, Maria, &c.) *eſt finali fide Chriſti meritum apprehenſurus.* Hanc minorem noſtro iterum concipiendi modo, Deus deinceps formavit, reſpectu ſubjectorum eligendorum, quatenus vi ſuæ æternæ præſcientiæ omnes illos, qui in tempore erant finali fide Chriſti meritum apprehenſuri, prævidit ut finali fide Chriſti meritum apprehenſuros. Hæc minor vocatur πρόγνωσις. Jam ſequitur concluſio, quæ eſt ipſa Prædeſtinatio. *Ergo hic* (iſte, ille, Petrus, Paulus, Maria, &c.) *eſt electus ad æternam ſalutem.* Concluſio hæc dici ſolet προορισμός.

§. 2. Quicquid hic *Calviniani* excipiant, nihil ſolidi eſt aut eſſe poteſt. Nam quod negant, Deum ſerio ab æterno voluiſſe, ut omnes homines peccatores in tempore meritum Chriſti finali fide apprehenderent, hoc, uti ſupra vidimus, negant contra expreſſa luculentisſimaque Scripturæ Sacræ Canonicæ teſtimonia. Qualis enim conſequentia? Fides non eſt uniuscujusque, *2. Theſſ. III, 2.* Ergo Deus non voluit ſerio, ut omnes finali fide Chriſti meritum amplecterentur: nulla certe. Qui ſerio vult finem, vult etiam medium, abſque quo finis haberi nequit, quia alias idem vellet ac nollet: Aſt idem ita velle ac nolle eſt contradictio. Jam negari nequit, quod ab æterno Deus ſerio voluerit omnium omnino hominum ſalutem, ceu ſupra ex *Ezech. XVIII, 23. XXXIII, 11. Joh. III, 16. 1. Tim. II, 4. 1. Joh. II, 2.* probavimus, nullumque horum dictorum de generibus ſingulorum, ſed omnia de ſingulis generum accipienda eſſe, oſtendimus. Quod ad allegatum *Epiſt. ad Theſſ.* dictum attinet, eo & nos contra *Huberum* ejusque ſectatores utimur, ut probemus, electionem non eſſe univerſalem: Nam ſi electio univerſalis eſſet, etiam fides eſſet univerſalis: quia autem fides eſt particularis, etiam electionem particularem eſſe oportet: Quod vero fides, adeoque etiam electio ſit particularis, cauſam non in Deo quærendam eſſe diximus, ſed in hominibus, qui Spiritui Sancto reſiſtunt, & omnia media, per quæ fides accenditur, ſpernunt, vel, fide accepta, ad tempus tantum eam retinent, poſtmodum deficiunt. Quo ſpectat illud *Eſa. V, 4. Quid faciendum erat ultra vineæ meæ, & non feci in ea?* Et *Proverb. I, 24. Vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit, qui attenderet, & ceſſare feciſtis omne conſilium meum, & increpationem meam noluiſtis.*

§. 3.

§. 3. Prædestinationem ad vitam æternam ob Christi meritum finali fide apprehensum factam esse ab æterno, probatur ex *Epb. I, 4.5.* Καθὼς ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ πρὸ καταβολῆς κόσμου &c. προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς αὐτὸν, κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Item duobus seqq. versibus. Est namque hic locus maxime propria hujus materiæ sedes, prout felicissime deduxit *B. Joh. Gerhardus Loc. de Electione c. II.* §. *193.* qui prolixe videatur: Argumentor: In quocunque tanquam futuro redemtore & bonorum spiritualium instauratore nos Deus ante jacta mundi fundamenta elegit, ob illius meritum finali fide apprehensum nos elegit. Atqui in Christo &c. Minor patet ex toto contextu: In eo enim Christus non aliter consideratur, quam prout ex ipsius merito in nos redundat, quicquid bonorum spiritualium est. Hinc præced. *vers. 3.* benedictio dicitur nobis obtigisse ἐν Χριστῷ *in Christo*, h. e. ob Christum ejusque meritum. *vers. 4.* dicimur electi ἐν αὐτῷ *in ipso*, scilicet Christo, ut fundamento vel principio, in quo, per & propter quod nobis contingit electio *in Christo*, & non ad Christum, antecedenter & non consequenter: per & propter Christum tanquam causam merentem, suoque merito Deum & misericordiam ac benignitatem ejus disponentem ac impellentem. *vers. 5.* dicitur non ἐν αὐτῷ, sed εἰς αὐτὸν in *semetipsum*, hoc est, ad laudem gloriæ gratiæ suæ. Distinguitur enim inter Deum mediatorem, propter quem & ἐν αὐτῷ *vers. 7.* facta est prædestinatio.

§. 4. Agnoscunt modestiores *Reformati*, intuitu meriti Christi finali fide apprehensi ab æterno factam esse prædestinationem. Sed quod una manu largiuntur, altera tollunt, dum nempe nullum alium intuitum nisi medii ut medii agnoscunt. Ast quicquid est causa procatarctica executionis decreti, illud etiam oportet esse causam procatarcticam ipsius

ipsius decreti. Atqui meritum Christi finali fide apprehensum est causa procatarctica executionis æterni decreti electionis. Ergo. Major nullam patitur instantiam. Minorem negare nequeunt. Eadem doctrina a Spiritu Sancto traditur in allegato loco fundamentali. *Ephes. 1.* a *versu 3.* ad *7.* Postquam enim Apostolus designaverat executionem, quæ in tempore fit *vers. 3.* ubi celebrat Patris cœlestis beneficium, quo benedixit nobis in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, progreditur ad ipsum decretum *vers. 4. & seq.* ubi digreditur ad beneficium electionis, dicens, eundem, qui benedixit in tempore, elegisse nos in Christo ante mundi constitutionem, quod utrumque beneficium connectit adverbio similitudinis καθὼς, ad denotandam utriusque (decreti atque executionis) conformitatem, ita ut ex hac liceat illud æstimare. Jam concludo adhuc ex verbis allegatis: Si Deus nos elegit in Christo, antequam jacerentur mundi fundamenta (i.e. ab æterno) in filios per Jesum Christum, pro benevolo beneplacito (in Christo fundato *vers. 3.*) voluntatis suæ, sequitur, eum nullos absoluta sua voluntate elegisse, neque alios reprobasse. Prius est. Ergo. Majoris connexio facile patet, quia Apostolus sæpissime Christi ut causæ meritoriæ mentionem facit, cujus intuitu hæc prædestinatio ab æterno facta est. Nec est quod Calviniani excipiant: Christi hic fieri mentionem ut executoris decreti, non vero ut causæ meritoriæ: nam quicquid est causa meritoria justificationis & salvationis, illud etiam est causa meritoria prædestinationis. Atqui Christus pro peccatis nostris satisfaciens est causa meritoria justificationis & salvationis. Ergo. Uti etiam in contrarium urgeri solet contra *Pontificios* & *Socinianos*: Quod non est causa meritoria justificationis & salutis, illud etiam non est causa meritoria electionis. Atqui B. O. non sunt causa meri-

meritoria juſtificationis & ſalutis, quod ſupra fuſe diduximus. Ergo. Et conſequenter, quia electio non fit propter opera, non fit ex debito; igitur ex gratia: ſi enim ex gratia, jam non ex operibus. *Rom. XI, 6.* Vid. *B. Scherz. Syſt. Loc. XVIII. §. VI. p. 487.*

§. 5. Calviniani objiciunt contra cauſam meritoriam Chriſtum *1. Pet. I, 20.* Dicitur ibi Chriſtus προεγνωσμένον μὲν καταβολῆς κόσμου &c. Unde argumentantur: Quicunque ipſe dicitur prædeſtinatus, antequam jacerentur mundi fundamenta, ille prædeſtinationis cauſa eſſe non poteſt. Atqui Chriſtus. &c. Ergo. Sed reſp. eſſe in hoc argumento quatuor terminos. Vocabulum enim prædeſtinationis aliter ſumitur in majore, in minore aliter: in minore intelligitur præcognitio (ſic enim verti debet græcum vocabulum, non prædeſtinatio) ad mortem & paſſionem, quatenus Deus ab æterno Chriſtum habuit præcognitum, illum in tempore mundum eſſe redempturum. In majore autem intelligitur de prædeſtinatione hominum peccatorum ad vitam æternam.

Finis totius Decadis Diſſertationum.

SIT SOLI DEO GLORIA.

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id472750909/260
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id472750909/262
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

Th. ev. dogm. 1285

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id472750909/263
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id472750909/264
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG